Q. D. B. V.

TYRANNUS

DISSERTATIONE

HISTORICO-POLITICA

DELINEATUS

&

PRÆSIDE

CASPARE SAGITTARIO

HIST. P. P. O.

Placidæ eruditorum disquiſitioni

Propoſitus.

a

PAULO BERNBERCH

HAMBURG.

JENÆ.

TYPIS GOLLNERIANIS.

CIↃ IↃCLXXV.

VIRIS

Nobiliſſimis, Spectatiſſimis, Doctiſſimisque

DOMINO

PAVLO BERNBERCH

ANDREÆ FILIO

&

DOMINO

MARTINO VVEVETZER

In Inclyto Hamburgo Civibus primariis

Mæcenatibus, Patronis & Cognatis meis obſervanter colendis

præſentem diſſertationem in pietatis, gratæ mentis ac cultus monumentum ac perennaturi favoris exſpectationem

conſecrat

PAVLVS BERNBERG.

In Nomine Jesv.

CAPVT I.
DE NOMINE TYRANNI.

SVMMARIVM.

§. I.

IN nominis origines & ſignificata primo fere ſolet inquiri. II. Tyrannus *græca vox, & ortu quoque. Nec tamen a τρύω, vel τύρω, vel τείρω. ſed a τυρὶς ſive τύρσις* Turris, *potentum habitaculo. III. An* Tyrannus *a* Tyrrhenorum *latrociniis vel crudelitate dictus. IV. Forte & ipſi* Tyrrheni *a τύρσις.* Tyrſeni & Tyrſenia. *τυρσὶς,* murus. *Ars eos exſtruendi a Tyrſenis forte inventa. V. Tyrannus non deſcendit a Tyriis, quod placet Fullero. Tyranni vox recentior. VI. Fullerus tantum pejorem ſignificationem veteribus ignotam, bonam autem vulgo frequentatam, notat. VII. Fullero reſpondetur.* Tyranni *nomen circa Archilochi tempora invaluit. VIII. Splendidum primo* Tyranni *nomen, & commune bonis malisque Principum. IX. Poſtea in deterius verſum.* Rex & Tyrannus *oppoſita. X. Quandoque honeſtior uſus vocabuli revocatus. τύρα νος. Actor. XIX. v. IX. forte non eſt inter propria.* Tyrannus *Sophiſta.* Tyrannio *vocati plures. XI. A τύραννος ſunt τυραννὶς,* Tyrannis, *tam pro regimine quam pro conjuge Tyranni. Τυραννικὸς,* Tyrannicus. *τυραννικῶς,* Tyrannice. *τυραννοκτονεῖν.* Tyrannoctonus. Tyrannicida, Tyrannicidium. *XII. τυραννέω, τυραννεύω, τυραννεύομαι. τυραννιάω, τυραννεῖον. τυραννοποιός.*

QVoniam pervulgata doctorum ſententia, iis, qui rem aliquam juſto ordine pertractandam ſumunt, nominis origines ac ſignificata omnium primo diſcutienda; & me facturum operæ pretium arbitror ſi nominis Tyranni ortum ac ſignificationes quoque in principio hujus diſſertationis inveſtigarem.

§. II. Tyrannus, uſurpatione propemodum Latio ac Germania donata, ſed alias Græca vox eſt; et fortaſſis quoque originis Græcanicæ. Licet enim nonnulli ab Hebræo צור *coarctare, anguſtiis & afflictionibus afficere* vel Chaldaico טירא hoc eſt *ædes, palatium*, ortum traxiſſe velint, malim tamen ex Græcia petere. Non eſt autem quod arceſſam vel a *τρύω attero, corrumpo, divexo*; vel a *τύρω moleſtia afficio*; *vel a τείρω, affligo*: etſi quo ſenſu nunc vocetur, dignus his ſit originibus. Prius tamen placuit Scholiaſtæ Sophoclis, cujus argumentum Oedipo Tyranno præmiſſum hæc affert: *εἴρηται δὲ τύραννος κατὰ τὸ ἔτυμον οἱονεὶ τύρων τοὺς λαοὺς, καὶ ἀνίας ἐπιφέρων, καὶ τυρεύων δόλους κατὰ τῶν ὑπ' αὐτόν. Dictus eſt autem Tyrannus ex verbi notatione, ex eo quod cruciaret populos, iisque dolores inferret, doloſque adverſus ſubjectos ſtrueret.* Equidem ſubſcribam iis, qui a *τυρσὶς*, ſive *τύρσις*, *Turris* derivant. Cauſa appellationis ſit, quod inhabitarint olim turres, ac palatia. Turres ſcilicet & arces Tyrannorum aut potentum propriæ. Unde Venuſinus Lyricus *Pauperum tabernas Regumque turres* ſibi invicem opponit. Geminum in modum *ἄκρων*, id eſt *celſiſſimus*, vel *princeps* ſit ab *ἄκρα arx*: quo pacto Jupiter nuncupatur *ἄκριος*, a *celſo loco*, vel *arce*, vel *monte*. Et Germanis a *burgo*, ſive *pyrgo* dicuntur *Burggravii* ipſique in munitis Burgis habitantes *Burgenſes* (Bürger) iisque præfecti *Burgo-magiſtri*, Bürgemeiſter.

§. III. At vero alii a Tyrrhenis Tyrannum deducunt. Scholiaſtes laudatus: *προσαγορευθῆναι δέ φασι τὸν τύραννον ἀπὸ τῶν τυῤῥηνῶν. Tyrannum autem a Tyrrhenis dictum ferunt*

Ratio

Ratio mox inſequitur: quod iſti latrociniis famoſi. Χαλεποὺς γάρ τινας περὶ λῃστείαν τούτους γενέσθαι. *Hi enim latrociniis regionem infeſtabant.* Feſtus, auctoritate Verrii Flacci, a crudelitate Tyrrhenorum arceſſit: *Turrhenos* inquit, *Etruſcos appellari ſolitos, ait Verrius, a Tyrrheno Duce Lydorum, a cujus gentis præcipua crudelitate etiam Tyrannos dictos.* Vtramqve rationem junxit Svidas; cujus latine facta hæc ſunt: *Dictus eſt Tyrannus a Tyrrhenis, qui ſævi homines & latrociniis dediti fuerunt.*

§. IV. Quid ſi vero ipſos Tyrrhenos a τύρσεις nomen accepiſſe diceremus? Certe favet nobis Græca appellatio. Antiquisſimi enim ſcriptores Græci, Homerus, Heſiodus, Euripides, Pindarus, Thucydides, Herodotus, Apollonius, Lycophron, pro Tyrrhenis & Tyrrhenia τυρσηνοὺς, *Tyrſenos* ſcribunt, & τυρσηνίαν, *Tyrſeniam.* Nempe ſuffragatur nobis Dionyſius, qui ſic nuncupatos ſcribit ἀπὸ τῶν ἐρυμάτων, ἃ πρῶτοι τῶν τῇδε οἰκούντων κατασκευάσαντο, *a munitionibus, quos accolarum primi extruxerunt.* Hæ ſcilicet munitiones eodem auctore τύρσεις, id eſt *Turres* dicuntur, tam Tuſco ſermone quam Græco. Quin, ſi credimus Iſacio in Lycophronem, τύρσις eſt τὸ τεῖχος murus quilibet, & τυρσηνοὶ πρῶτον εὗρον τὴν τειχοποιΐαν *artem extruendi muros primi invenerunt.*

Non igitur vel Tyrrheni, vel Tyrannus noſter Tyro transſcribunt ſuum ἔτυμον: id quod tamen operoſe niſus eſt firmare Nicolaus Fullerus, Sariſburienſis Canonicus, tum Miſcellaneorum Theologic. lib I. cap. XI. tum lib. IV. cap. XI. De Tyrrhenis eum confutavit Samuel Bochartus Geograph. Sacræ part. II lib. I. cap. XXXIII. Nos in Tyranno occupati nonnihil contra ipſum diſputabimus. Et primus quidem hujus opinionis auctor Fullerus non eſt; cum apud citatum aliquoties Sophoclis Scholiaſten legas: Οἱ δὲ λέγουσιν αὐτὸν γεννηθῆναι ἀπὸ τύρου πόλεως. *Quidam a Tyro urbe deductum tradunt.* Verum ſi Tyrannus a Tyriis natus, antiquisſima procul dubio vox eſſet. Neque enim probabile videtur, Tyro jam cadente hoc ſurrexiſſe nominis. Vnde Hugo Sanfordus, Coomflorius Anglus, merito id urſit libro

de Deſcenſu CHRISTI ad inferos, idque conſentiente toties laudato Scholiaſte, cujus contextum ſubjungo: ὅτι δὲ νεώτερον τὸ τοῦ τυράννου ὄνομα, δῆλον. οὔτε γὰρ Ὅμηρος, οὔτε Ἡσίοδος, οὔτε ἄλλος οὐδεὶς τῶν παλαιῶν, τύραννον ἐν τοῖς ποιήμασιν ὀνομάζει. *Conſtat autem recentius eſſe Tyranni nomen: neque enim Homerus, neque Heſiodus, neque alius ullus ex veteribus in ſuo carmine Tyranni mentionem facit.*

§. VI. Quid ad hæc Fullerus? Vi preſſus argumenti, malam ſignificationem Tyranni ignotam veteribus affirmat, non item bonam. Deinde apud elegantiores Græcos non haberi concedens, vulgo tradit cognitam. Dabimus ipſa Fulleri verba: *Scilicet in malam partem acceptum (quod haut inviti dabimus) non in bonam. Item apud elegantiores & diſertiores Græcos, non apud vulgum. Nam vulgo quidem, in ſermone quotidiano, a primo ferme Cadmi & Phœnicum in Græciam adventu non negatur uſitatum fuiſſe Tyranni nomen. A Poetis autem, utpote politisſimis Scriptoribus, maxime in poemata ſua, non ſtatim admiſſum eſt barbarum vocabulum: nec niſi poſtquam peregrinitate ſua, veluti rubigine quadam deterſa, diuturno uſu ſplendeſcère tandem cœpiſſet.*

§. VII. Quis non accrederet Fullero, ſi dicta idoneis firmaſſet teſtibus? Nunc præter illum ipſum Sophoclis interpretem affert neminem; ſed qui tamen potius contra eum faciat. Neque enim ex eo, quod Poetæ Homerum inſecuti Reges Trojana tempora ſupergreſſos Tyrannos appellarint, ſequitur, in ore vulgi fuiſſe hoc vocabuli; aut etiam coætaneum priſcis illis Regibus, iisdemque ſeculis natum. Certe a Græcis ante Archilochi tempora non cœptum uſurpari Hippias Sophiſta quondam teſtabatur. Interpres Sophoclis: ἴδιον δέ τι πεπόνθασιν οἱ μεθ' Ὅμηρον ποιηταί, τοὺς πρὸ τῶν τρωϊκῶν βασιλεῖς τυράννους προσαγορεύοντες, ὀψέ ποτε τοῦδε τοῦ ὀνόματος εἰς τοὺς Ἕλληνας διαδοθέντος κατὰ τοὺς Ἀρχιλόχου χρόνους, καθάπερ Ἱππίας ὁ σοφιστής φησίν. *Poetis vero, qui Homerum ſecuti ſunt, peculiare quippiam uſu venit, qui Reges ante bellum Trojanum Tyrannos appellaverunt. Hoc nomen tandem*

a Græ-

a Græcis eſt uſurpatum, Archilochi temporibus, ut Hippias Sophiſta teſtatur. Iisdem verbis uſus Suidas in τύραννος. Quod ſi Archilochus Parius hoc loco intelligendus venit, floruit is Olympiade XXIX. atque adeo definitum haberemus tempus, quando apud Græcos uſurpari cœpta vox Tyranni.

§. VIII. Splendidum tamen primo, & honorificum, utique non probroſum Tyranni fuit vocabulum, deſignans Principem in civitate ſui juris ſumma utentem poteſtate: qua tamen cum nonnulli abuterentur, potentiam vertentes in licentiam, fieri non potuit, quin hac communi voce tam boni, quam mali Principes comprehenſi. Seneca in hanc ſententiam lib. I. de Clementia cap XII. *Tyrannus a Rege diſtat factis, non nomine. Nam & Dionyſius major jure meritoque præferri multis Regibus poteſt; & L. Sullam appellari tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hoſtium?* Hactenus igitur non male Bodinus l. II. de Republ. initio cap. IV *Tyranni vox olim honeſta, ac ſplendida.* Et mox: *Probis æque ac improbis commune fuiſſe Tyranni nomen, ex eo perſpicuum fit, quod Pittacus ac Periander, qui in ordine Sapientum a Græcis enumerantur, Tyranni ſunt appellati.* Sed juverit vetuſtiorem audire. Is eſt eruditus Scholiaſtes Ariſtophanis ad fabulam Acharnenſes: Χρῶνται δὲ ἀδιαφόρως ἔνιοι τοῖς ὀνόμασιν, Ἱέρωνα μὲν βασιλέα Πίνδαρος καλεῖ τὸν Συρακουσίων τύραννον. Εὔπολις δὲ ἐν Δήμοις εἰσάγει τὸν Πεισίστρατον βασιλέα. ἀλλὰ καὶ τοὺς βασιλέας πολλάκις τυράννους λέγουσι. Hoc eſt: *Indifferenter vero nonnulli utuntur nominibus* (βασιλέως καὶ τυράννου.) *Pindarus quidem Hieronem Regem Syracuſanorum Tyrannum vocat. Eupolis vero in* Δήμοις *introducit Piſiſtratum, Regem. Sed & Reges ſæpius Tyrannos nuncupant.* Ipſum Jovem θεῶν τύραννον *Deorum* nominat *Tyrannum* Ariſtophanes in Nubibus. Aul. Hirtius de bello Alexandrino ait: *Reges, Tyrannos, Dynaſtas provinciæ finitimosque receptos in fidem.* Ubi per Tyrannos intelligere videtur non violentos, & crudeles, ſed legitimos Principes, Regibus tamen paulo inferiores, quales hodie æſtimantur Duces. Apud Plautum cum Pſeudolus Calidorum magnifice

vult

vult compellare, Tyranni mactat elogio. Sic enim habetur Act. II. ſc. IV. v. XI.

PS. *Magnifice hominem compellabo.* C.A. *Cuja vox ſonat?*
PS. *Io! Io!*
Te, te, te, Tyranne, te rogo: qui imperitas Pſeudolo.

Et Curcul: II. III. v. VI.

Nec quisquam ſit tam opulentus, qui mihi obſiſtat in via.
Nec Strategus, nec Tyrannus quisquam. ——

Apud Principem Latinorum Vatum Maronem & Tyrannus non improba ſignificatione comparet lib. VII. Æneid. v. CCLXII. ubi Latinus ait:

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni

id eſt, Regis Æneæ: cui benigne omnia atque adeo filiam, offert. Unde ad hæc Servius: *Græce dixit, id eſt Regis. Nam apud eos Tyranni & Regis nulla diſcretio eſt.* Quæ repetit Iſidorus Originum Lib. IX. cap. III. Neque aliter accipio ſequentia Horatii lib. I. Od. XXXV.

Te Dacus aſper —— *&*
Purpurei metuunt Tyranni.

Et lib. III. Od. XVII. de Lamo:

Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuiſſe Lyrim
Late Tyrannus.

Ad quæ non male Chriſtophorus Landinus: *Tyrannus Validiſſimus Rex. Apud antiquos indifferenter erat Rex & Tyrannus.*

§. IX. Quod autem magna Regum, Principumque manus in deterius ac omne nefas vergeret, procedente tempore factum, ut magnificum Tyranni nomen perinde ut plures aliæ voces, quaſi labis quidquam contrahens maxime de nefario ac omnibus ſceleribus polluto, inprimis autem ſævitia illuſtri diceretur Rege; adeo quidem ut βασιλεὺς καὶ τύραννος *Rex* & *Tyrannus* ſibi invicem oppoſiti longisſimo diſtare crederentur intervallo. Hanc diſcrepantiam inculcat Iſidorus Origin. lib. IX. cap. III. his verbis:

Jam

Jam poſtea in uſum accidit Tyrannos vocari peſſimos, atque improbos Reges, luxurioſæ dominationis cupiditatem, & crudeliſſimam dominationem in populis exercentes. Huc etiam collimat Scholiaſtes Ariſtophanis: Διαφορὰ δὲ inquit, βασιλέως καὶ τυράννου. βασιλεὺς μὲν γὰρ ἐκ προγόνων κατὰ διαδοχὴν ἔχει τὴν ἀρχὴν ἐπὶ ῥητοῖς λαβὼν πέρασι. τύραννος δὲ τὸ ἄρχειν βιαίως σφετερίζεται. *Differentia eſt inter Regem & Tyrannum. Rex quidem a majoribus ſecundum ſucceſſionem habet imperium, certis ſumens conditionibus. Tyrannus vero imperium ſibi violenter arrogat.* Eleganter Polybius Hiſt. lib. V. τυράννου μὲν γὰρ ἔργον ἐστὶ τὸ κακῶς ποιοῦντα τῷ φόβῳ δεσπόζειν ἀκουσίως μισούμενον καὶ μισοῦντα τοὺς ὑποττατομένους. Βασιλέως δὲ τὸ πάντα εὐποιοῦντα διὰ τὴν εὐεργετίαν καὶ φιλανθρωπίαν ἀγαπώμενον ἑκόντων ἡγεῖσθαι καὶ προστατεῖν. *Quippe Tyranni opus eſt, malefaciendo ſuis cum terrore invitis imperare, in mutuo ſemper odio cum ſubditis verſantis: Regis vero contra benefaciendo univerſis cum liberalitate atque clementia ſponte ſubjectos gubernare, in mutua ſemper benevolentia, ac charitate cum civibus viventis.* Ex recentioribus placent illa Antonii de Gvevara: *Tyranni vox non honeſta tantum, ſed ſplendida olim fuit, adeoque omnibus, penes quos ſumma erat Imperii, tribuebatur: poſteaquam vero animadverſum eſt alios melius ac juſtius aliis imperare, ii quidem qui moderate imperio uterentur, Reges; qui vero cupiditatibus ſuis indulgerent, ac proculcatis legibus, ſua voluptate atque utilitate omnia metiebantur, Tyranni appellari cœperunt. Ex quo intelligitur, Regum appellatione eos tantum vere dignos eſſe, qui rempublicam bene & laudabiliter adminiſtrant.* Habentur ea Diſſertatione de Regii & Imperatorii nominis origine ad Carolum V. Imp. in Epiſtolas Auctoris relata. Sed de differentia Regis & Tyranni plura ſequenti afferentur capite.

§ X. Neque tamen ita invaluit vocabulum Tyranni in partem ſequiorem, quin quandoque antiquam honeſtiorem indueret perſonam. Jam ex Virgilio Horatioque id clarum: quibus addo hæc Lucani:

Felices Arabes, Medique Eoaque tellus
Quam ſub perpetuis tenuerunt fata tyrannis.

Et Silius quoque *Tyrannum* pro *Rege* uſurpavit, quod obſervatum Johanni Baptiſtæ Pio Annotationum poſterior. Sylloge III. cap. XXXI. Frequenter etiam pro Rege, vel dynaſta, aut ſatrapa accipit Saxo Grammaticus in Hiſtoria Danica. Et parum abeſt quin *τύραννόν τινα* apud Lucam Actor. XIX. v. IX. ſic accipiam: quamvis non ignorem B. Lutherum & pleroſque Interpretum pro proprio habere vocabulo. Quod quidem fuit Sophiſtæ, qui *de Statibus & diviſione orationis libros X.* ſcripſit, teſte Svida: qui idem trigam doctorum enumerat, quibus nomen *Tyrannio* adhæſit.

§. XI. A *τύραννος* Græci multas formâvere voces, quarum partem Latini quoque non refugere. In his ſunt *τυραννὶς, τυραννία,* Tyrannis. *τυραννικὸς,* Tyrannicus. *τυραννικῶς,* Tyrannice. *τυραννοκτόνος,* Tyrannicida. *τυραννοκτονία,* Tyrannicidium. Tyrannidem pro ſævo ac violento imperio Juvenalis inceſſit ſat. VIII.

Quid Nero tam ſæva crudaque tyrannide *fecit*. Cicero ſæpe hac voce uſus. Inter alia ad Atticum lib. XIV. Epiſt. IX. *O Dii boni! vivit* tyrannis, *Tyrannus occidit?* Et alibi eodem libro: *Sublato tyranno, tyrannida manere video.* Alias *τυραννίδες, uxores Principum* denotant Eſther. cap. II. v. XIIX. quam *Tyrannam* aliquando dici, Pincierii obſervatio eſt Parergor. Otii Marpurgenſis lib III. cap. XII. Iſocrates in Evagora *στρατηγικὸν καὶ τυραννικὸν* dixit, pro ducendi exercitum dominandique perito: *στρατηγικὸς τῇ πρὸς κινδύνους εὐβουλίᾳ, τυραννικὸς δὲ τῷ πᾶσι τούτοις διαφέρειν*: quod Gulielmus Budæus Commentariis Linguæ Græcæ explicat *στρατηγητικὸς καὶ τυραννευτικός.* *Leges* tyrannicas, *Privilegia* & *facta* tyrannica dixit Cicero; *impotentiam* tyrannicam, Apulejus Metamorph. lib. X. Et græcum *τυραννικῶς*, & latinum *tyrannice* Tullio uſurpatum. Nam ad Atticum: *Vide quam ad hæc τυραννικῶς.* Et in Verrinis: *Regie, ſeu potius tyrannice ſtatuit. τυραννοκτονεῖν, Tyrannum interficere* habet ipſe tyrannus Phalaris Epiſt. CXXVIII. ad Ariphœtum: *οὐ γὰρ ἐκ γυναικείας χειρός τυραννοκτονηθήσεται Φάλαρις.* *Non enim muliebri ma-*

nu

nu occidetur Phalaris: Budæo eſt ὥσπερ τύραννος φονευθήσεται. Ab eo ſunt τυραννοκτονία, & τυραννοκτόνος. Et latine hoc Cicero ſcripſit ad Atticum lib. XIV. Ep. XV. *Suſtuliſſe mihi videtur ſimulationem deſiderii, adhuc quæ ſerpebat indies: & inveterata, verebar, ne periculoſa noſtris* tyrannoctonis *eſſet*. Sed *Tyrannicidas* nuncupavit Plinius *Harmodium & Ariſtogitonem* lib. VII. c. XXII. perinde ut Quintilianus *Tyrannicidium*.

§. XII. Præterea uſu apud Græcos invaluere τυραννέω, *regno, dominor*, item *tyrannidem obtineo*. τυραννεύω *Tyrannum ago*, τυραννεύομαι *Tyranno pareo*, item *Tyrannidem patior*. τυραννιάω, *Tyrannidem affecto*. τυραννεῖον, *Palatium tyranni*. τυραννοποιὸς Platonicum eſt.

CAPUT II.

DE TYRANNI DEFINITIONE.

SUMMARIUM.

§. I.

Tyranni definitio juxta ductum Philoſophi. II. Tyranni Imperium abſolutum: in quo a Rege non differt. III. Tyrannis monarchiæ ſpecies. IV. Subditi Tyranno virtute, rarius ſanguine, pares, vel ſuperiores. V. Tyrannus invitis dominatur. Si volentibus, Tyrannus eſt κατὰ νόμον, *quales Orientis Reges. Æſymneticum imperium inter juſta Tyrannidis ſpecies. Miltiades juſtorum Tyrannorum unus. VI. Tyranni ſunt vel occupatione tantum; vel exercitio tantum; vel modo utroque. Priores ſæpe deponunt naturam Tyranni; poſteriores peſſimi. VII. Tyranni unice ſuam circumſpiciunt utilitatem in quo maxime differunt a Regibus: quod firmatur Philoſophi, Themiſtii, Syneſiique dictis. VIII. Trajani Boccalini objectio rejecta. IX. Tyrannus cum Principe navis vitiisque obnoxio nequaquam confundendus.*

§. I.

TYranni, perinde ac *Regis* vocabulum eſt ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Vnde non mirum pro vario ſcriptorum captu, tam varias reſultaſſe Tyranni definitiones. Nobis nunc placet iſta: *Tyrannus eſt, qui ſolus ſummum, & abſolutum in invitos ſubditos ſibi vel pares, vel meliores, exercens imperium, omnia ad ſuam utilitatem refert.* Quem in his potiorem ſequeremur ducem Politicorum principe? cujus hæc ſunt de Tyrannide: *Tyrannis, monarchia ſit neceſſe eſt, quæ nullis rationibus nullisque legibus ſubjecta ſimilibus, iisque Tyranno ipſo præſtantioribus ad ſuum, & privatum, non ad ſubditorum commodum imperat, ideoque etiam invitis imperat.* Polit. Lib. IV. cap. X.

§. II. Tyranno *ſummum* & *abſolutum* tribuitur *imperium*. Nam quod ad ſublimem poteſtatis amplitudinem, in eo utique a Rege Tyrannus non differt. Et Rex (περὶ παμβασιλείας loquor) pro ſuo arbitrio cuncta moderatur: & Tyrannus ἀνυπεύθυνος eſt, reddendisque rationibus nemini obnoxius. Recte igitur Seneca Regis & Tyranni diſcrimen ob oculos poſiturus, *ſpeciem ipſam fortunæ ac licentiæ parem tradit* lib. I. de Clementia cap. XI. Differentia nemini non nota, quod Rex ex rectæ rationis præſcripto, Tyrannus etiam ipſi rationi velit imperare, ut ſecurius prorumpat:

Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.

§. III. *Solum* ſpectamus Tyrannum: quippe quod Tyrannidem cum Philoſopho pro ſpecie Monarchiæ habeamus. Nec Regnum nec Tyrannidem inter duos æque diviſa agnoſcimus. Si Lucano affirmante,

Nulla fides Regni ſociis, omnisque poteſtas
Impatiens conſortis erit:

quanto magis id de Tyrannis verum? Nec movent me recentiorum acumina in obtuſum, ceu reor, non raro euntia.

§. IV. *Subditos* Tyranno ſufficio. Absque his enim non magis Tyrannus ex re & vero nomen habuerit: ac ſine ſervis Dominus, absque militibus Imperator. At eos indu-

induplici nunc ſtatuo differentia. Vel enim imperitante meliores, vel pares ſunt virtute & prudentia. Sangvinem hic ſepono: quod Tyrannorum plurimi hac prærogativa ſuperbierint: quamvis nec deſint exempla viliſſimæ ſtirpis ad hoc ſolium, & preſſuram regii generis, graſſantia.

§. V. *Invitos* hic præcipue requiro ſubditos. Tyrannici ſcilicet imperii nota eſt, homines natura liberos & nolentes ſubjectos facere & habere. Quod ſi igitur quis volentibus, & ſi qui ſunt, natura ſervis, imperat; ſtrictiori ſenſu Tyrannus non erit, aut cum adjectione *juſtus*. Ariſtoteles eleganter τύραννον κατὰ νόμον vocat: quales erant Reges Orientis, qui non vi, ſed voluntate populorum imperium obtinuere. Huc refer Ariſtotelica capitis X. lib. III. *Eſt præterea genus alterum monarchiæ ejusmodi, qualia ſunt apud quosdam barbaros regna, quæ tametſi habeant potentiam Tyrannidi proximam; attamen moribus & legibus firmata ſunt. Nam cum ſint e gentibus, aliæ ſua natura minus liberæ, imo vero magis ad ſervitutem natæ (ut Barbari magis quam Græci, & Aſiatici magis, quam Europei) tales ſane herilem dominationem facile ferunt, nec quicquam propterea affluctantur. Hæc itaque regna ob eam cauſam Tyrannica ſunt, ſecura tamen & quieta, quia patriis moribus & legibus fundata ſunt:* Eſt & alia juſtæ Tyrannidis ſpecies, hoc ab Ariſtotele deſcripta modo: *Aliud eſt apud veteres Græcos uſitatum, quos Æſymnetas appellant. Eſt vero genus hoc (ut abſolute dicam) tyrannis ſed, liberis ſuffragiis electa & inſtituta, a barbarica tamen diverſa, non quia legitima non ſit, ſed tantummodo quia non ſit patrio inſtituto comparata. Hunc autem principatum tenebant, alii quidem perpetuum, alii quibusdam temporibus, vel certis rebus agendis circumſcriptum: quemadmodum quondam Mitylenes Pittacum delegerunt adverſus exules, quorum Duces fuere Antimenides & Alcæus Poeta. Alcæus enim Pittacum ſic electum fuiſſe, in quibusdam carminibus judicat. Vituperat enim Mitylenæos, quod Pittacum patriæ pernicioſum civem afflictæ & infelici civitati tyrannum, & quidem publico conſilio collaudatum impoſuerint. Quapropter hæ Reſp. quæ quidem tanquam heræ in ſervos dominantur, & habentur, & antea ſemper habitæ ſunt tyrannicæ; quod autem liberis ſuffragiis eliguntur, regiæ.*

Ad hanc claſſem referendus eſt Miltiades. Nam, ut eſt apud Cornelium; *Cherſoneſi omnes illos quos habitareat annos, perpetuam obtinuerat dominationem, Tyrannusque fuerat appellatus, ſed juſtus. Non enim erat vi conſecutus, ſed ſuorum voluntate, eamque poteſtatem obnitate retinuerat.* Mox addit: *Omnes autem & habentur, & dicuntur Tyranni, qui poteſtate ſunt perpetua in ea civitate, quæ libertate uſa eſt.* Et hæc Dionyſio Lambino videntur dicta propter Cæſarem, cujus immoderatam, & injuſtam potentiam Nepos, ut qui bonarum eſſet partium, improbabat. At vero Cornelianus, qui habetur & dicitur Tyrannus, ſi ſubditi, antea liberi, licet primo reluctantes, poſtea in perpetuam poteſtatem conſenſerint, curatius loquendo, non amplius erit Tyrannus, conſenſu impetrato.

§. VI. Ex hoc etiam fonte promanaſſe reor vulgatam per juniorum Politicorum ſcripta Tyranni diſtinctionem, in *titulotenus* talem, ſeu *occupatione tantum*; in Tyrannum *ſolo exercitio*, vel *adminiſtratione*; & in eum, *qui titulo eſt & exercitio ſimul.* Priorem uno nomine vocare poſſis Invaſorem, qui ſcilicet contra fas & æquum, alienum invadens imperium, ſive Regium fuerit, ſive Ariſtocraticum, ſive populare, invito populo poteſtatem ſibi arroget; hæc autem vitia ineuntis potentiæ magnis poſtea virtutibus legitimoque compenſet regnandi jure. Et hic quidem licet penitus eluere nequeat contractam ſemel maculam, atque adeo nec Deo, nec rectæ rationis dictamini, nec bonis ſe omnino in eo poſſit excuſare; cum tamen legitimo & moderato regimine ſe usquequaque probet ſubditis, haut gravatim omnium, aut plerorumque conſenſu impetrato, ponet cum natura Tyranni tam exoſum nomen. Quod is profecto & habebit, & merebitur, qui ſceptrum ſanguine aut legitimis partum modis in omne nefas ac ſubjectorum perniciem vertet. Peſſimus autem omnium is fuit, eſt, eritque Tyrannus, qui illegitime quæſitam, illegitime ſervat potentiam, quamque in adeundo exercuit vim, fere ſemper poſtea ſpirat, aut ſophiſmatibus obvelat.

§. VII. Talis vero is demum erit, qui neglecta ſubditorum ſalute, *omnia ad ſuam refert utilitatem*. Aut, ſi eam

quan-

quandoque curet,non niſi tamen ex accidenti, ſuæque voluptatis ergo. In eo præcipuus enim ſicut finis & ſcopus Tyrannidis, ita maximum conſiſtit Regis Tyrannique diſcrimen. Audiemus de eo dicta varia Philoſophi III. Polit. c. V. *Eſt enim Tyrannis monarchia ad regentis proprium commodum conſtituta.* Idem lib IV. cap. X. ubi pleniorem Tyrannidis definitionem tradit: Tyrannis monarchia ſit *neceſſe eſt, quæ nullis rationibus, nullisque legibus ſubjecta ſimilibus iisque Tyranno ipſo præſtantioribus ad ſuum & privatum, non ad ſubditorum commodum imperat, ideoque etiam invitis imperat.* Idem Rhetor. Lib. VIII. c. X. *Defectio a Regia eſt Tyrannis: ambæ enim ſunt Monarchiæ, & Dominatus unius. Differunt autem plurimum Nam Tyrannus quod ſibi utile eſt, propoſitum habet: Rex vero quod ſubditis.* Sic lib. V. cap. X. *Tyrannis (ſicuti ſæpius dictum) ad nullum Reipublicæ reſpicit, niſi privatæ duntaxat utilitatis gratia.* Themiſtius Orat: XIV *Duo illa nomina Rex videlicet, ac Tyrannus tantopere ſecum pugnant, atque diſſentiunt, ut nunquam convenire inter ſe atque concurrere poſſint: ſicut nec mens unquam, nec voluptas in unum coierint. Sed quocunque tandem pacto gliſcere altera ac vigere cœperit, corrumpere alteram, atque interire neceſſe eſt. Verum hoc quidem cum virtute & ad ſibi ſubditorum commodum, illud cum improbitate, & ad privatam utilitatem præſidet. Ideoque homines illud divinum atque beatum exiſtimant: hoc perhorreſcunt atque exſecrantur.* Elegans etiam Syneſii locus eſt de Regno, quem longiuſculum licet, non pigrabor latina verſione adſcribere: *Subditorum multitudinem Regem non minus facere, quam Tyrannum, ſicut nec ovium multitudo paſtorem potius, quam coquum, qui illas abigit, ut mactatis non modo ipſe famem expleat, ſed & aliis epulandas venum proponat. Iiſdem prorſus limitibus Regem cenſeo a Tyranno diſſidere. Nam quod ad fortunam pertinet, ambobus haut diſſimilis eſt. In multos uterque imperium habet, verum quid in vita ratione ſequitur, quod ſubditis commodum videtur qui laborem, & moleſtiam perferre vult, ne quid illis moleſtum ſit, qui pro illis periclitatur, ut in pace & ſecuritate degant, quique vigilare & in maximo concurſu ſolicitudinum verſari ſuſtinet, ut noctu & interdiu ſubditi malis omnibus vacent, hic in genere quidem ovium paſtor*

ſtor: in hominum vero genere Rex eſt. At qui per luxum poteſtate abutitur, & imperium voluptate ac deliciis conterit, ſuas omnes cupiditates ſibi explendas ducens: unde ſubditi graviſſimis damnis afficiantur, idque ex multorum imperio lucrum deputat, ſi quam plurimi ſuis libidinibus, ac cupiditatibus ſerviant, & ut uno verbo dicam, qui gregem non ſaginare, ſed a grege ſaginari vult, eum inter pecora coquum appello, eum Tyrnnnum *eſſe cenſeo.*

§. VIII. Sed tragulam hic injicit in facetis Relationibus ſumma prudentiæ civilis arcana, ſed & non raro temere rimatus Trajanus Boccalini, qui Cent.I Relat.LXXVI. objicit, quod ſi is Tyrannus dicatur, qui ſua ſubditorum anteponat commodis, ſe non perſpicere, qui vel unicus Princeps, quamvis optimus, non ſit in Tyrannis habendus: non perinde ac paſtor tantum ovibus gaudeat, ut amet, paſtumque & ſaginam illarum curans, lana, lacteque frui nolit, fame licet pereundum ipſi. Verum integram definitionis naturum non perſpexiſſe videtur Trajanus. Quis unquam abjudicavit Regibus fructum aliquem ex ſubditis? Ut boni paſtoris, ita & boni Regis, quem ποιμένα λαῶν ſalutat Homerus, eſt erit, quetondere ſubditos. Tyrannus deglubit illos, opibusque ac fortunis voluntati, ac ſtatui obſecundans exuit. Reges, boniquе Principes utilitatem quoque ſuam ſpectant; ſed non ſolum, non unice, verum cum ſalute ſubditorum conjunctam. In Tyranno valde & ſemper prævalet proprium commodum, plerorumque malorum origo.

§. IX. Magna autem hic cautione opus eſt, ne Principem, qui aliquibus urgetur nævis, aut malum quoque, referas in ſortem Tyrannorum. Tyrannice quidem agunt quandoque, nec tamen id propter evadunt Tyranni. Ut enim una atque altera actio ſecundum virtutem non ſtatim habitu virtutis præditum reddit hominem; ac, ut nec mala, habitum inducit vitii; ita nec in Regem reformabitur Tyrannus, in bonis quibusdam occupatus: neque Princeps naturam Tyranni ſimpliciter induet, ſi a rationis & communis emolumenti tramite deflexerit. Et ipſi Reges quantum-

tumvis pro mortalitatis conditione boni, tam ſuis affecti-bus, quam aliorum ducti aliquid humani committunt: ex quibus ſi Tyrannos argueres, næ in majeſtatem tam divinam, qvam humanam eſſes injurius.

CAPVT III.

DE EXISTENTIA AC ORTV TYRANNORVM.

SVMMARIVM.

§. I.

QVæſtio An ſit res, *quæſtionem* Quid ſit, *interdum præcedens aliquando ſequitur. Quæritur: An detur Tyrannus, qualis cap. II. deſcriptus? Tyrannis continuata vix reperitur. Reſpubl. in perpetuo ſunt motu. Bonus vir, poſt lapſum nemo. Erunt in cælis. Idcirco nec optima datur Reſp. niſi per Vtopiam. Peſſima optimæ oppoſita locum habet in magna provincia propter Vtopiam ſita. Optima Ariſtotelis Reſp. foret Democratica. Abſente viro civeque bono non eſt bona ſimpliciter Reſp. Democratia peſſima re ipſa eſt ignota. II. Rex optimus ſimpliciter nemo. Nemo Tyrannus ſimpliciter peſſimus. Boni Reges ac Optimates æſtimantur utcunque boni. Tyranni ſublimi conceptu pauciores. Plures Regum tyrannice rexerunt, & tyrannica admiſere. Et hi quandoque referuntur in Tyrannos. Ariſtotelica principia laudantur, licet non ſemper per praxin eluceant. III. An Regnum Tyrannide antiquius. IV. Affirmatur: conſentientibus Ariſtotele & Juſtino Hiſtorico. V. Regni antiquitas latius oſtenſa. An Deus Hierarchiarum fundamenta in Paradiſo jecerit. Adamus Regum forte primus. Apud Cainitas regnum violentius ortum. Regii imperii facies ſub Noacho & porro ſub Sems poſteris. VI. Bodinus Dominatus majorem antiquitatem tribuit, venationi Nimrodi intentus. VII. Dubium an venatio Nimrodi de humana an bellusna ſit intelligenda. Nimrodus forſan invaſit regna antiquiora. Regna a*

C

Deo

Deo. Tyrannides & Tyrannica a Diabolo. Deus peccata ſubditorum præſentium ac futurorum malis rectoribus puniturus non eſt auctor peccati. VIII. Variis modis Reſp. in Tyrannidem degenerare poſſunt. Ex Rebuſp. bonis non facile prodibunt Tyranni. IX. Formarum perfectarum locum occupent quales haberi poſſunt. Harum innumerus eſt numerus. X. Quem tamen non exemerim generalioribus Ariſtotelicis. Modi compoſitionis Rerump. variant modis infinitis. Nulla Reſp. alteri examuſſim reſpondet. XI. Ariſtotelis diligentia in πολιτικῶν & πολιτειῶν Operibus ſumma. Hujus jacturam dolemus. XII. Parvus ab Ariſtotele diſcriptarum manipulus, ſi cum totius orbis Rebuſp. ab ejus ortu ad præſens ævum compares. Rerump. natura non conſiſtit in externis nominibus, ſed interna facie ſæpe ne regentibus ſatis cognita, & diurnis, menſtruis, annuis mutationibus obnoxia. XIII. Mutationes ſingularum Rerump. ſingulas & mutationum modos nemo plene enarraverit. Adeoque nec in Tyrannide quiſquam id jure poſtulaverit. XIV. Reges facilius in Tyrannos & Tyrannica declinant variis de cauſis. Quandoque & inter Optimates emergit Tyrannus. Non ita frequens id in Democratiis. Qui Reſp. Veneta tamdiu ſibi caverit a Dominatu.

§. I.

QVæſtionum de re quavis principum una eſt, *An ſit*: quæ plerumque quæſtionem, *Quid ſit*, ſolet antevertere. Non raro tamen expedit, prius naturam, ſive veram, ſive conceptam, noſſe rei, quam, num ita ſe habeat, nec ne, curatius diſquiras. Tyrannum definivi capite proximo; quæ opera forte foret ſupervacanea, ſi Tyrannus per hoc univerſum daretur nullus. Sed ex me audio quæri: An igitur dari Tyrannum cenſes ejusmodi, qualem antea deſcribebas? Si affirmas, oſtende nobis talem: ſin minus; quid opus tam operoſe nihil agere? Bene eſt, quod de Tyranno, hoc eſt, de uno atque altero, ceu Philoſophi vocant, individuo, quæras. Nam ſi de Tyrannide continuata inquiſiveris, valde vereor, ut talem παρεκβάσεως formam peſſimis omnibus numeris abſolutam reperire liceat. Sicuti enim (quod omnis hiſtoria loquitur) Reſpubl. in perpetuo quaſi ſunt motu, ita fieri vix poterit, ut infimi commatis Tyrannis (de hac nunc

nunc præcipue loquor,) ſalva diu maneat. Bonus vir ἁπλῶς talis poſt miſerabilem Protoplaſtorum lapſum in hac fragili mortalium conditione non habet locum. Habebit illum in cœlis, quando omnia erunt perfectionis pleniſſima. Igitur ex voto optimam Remp. obtinuiſſe, quis aſſeruerit? niſi forſan in Vtopia, qua nunquam terra fuit felicior, & imperantibus æque ac ſubjectis commodior. Vtopiæ huic e regione oppoſita eſt provincia decuplo majoribus circumſcripta finibus, quæ, ut homines non niſi peſſimos alit, ita quoque regnandi parendique modis non niſi extreme malis involuta. In his unus malitia ſupra omnes, in ceteros, reluctantes tamen, affectans, & nactus aliquantisper dominium, caput eſt in peſſima (modo id mereatur nominis) Reſpublica. Ænigmata ſi quis forſan me arbitratur loqui, ipſe diſſoluam. Ex voto optima Reſpublica, ceu jam aſſerui, non datur, nec huic oppoſita, peſſima. Ponamus enim cum Philoſopho, optimam Rempubl. ex optimis civibus virisque conſtitutam non eſſe Monarchiam, nec Ariſtocratiam, ſed Democratiam: quod hujus cives omnes debeant ex præſcripto rectæ rationis, & ſecundum virtutem vivere. Jam ſicuti nemo perfecte bonum virum, nec civem nobis dederit; ita nec civitatem ex optimis, niſi in conceptu mentis, vel area chartarum dabit. Huic igitur ex voto optimæ Reip. ſi quod e diametro opponi deberet regimen, foret Democraticum peſſimum, ex malignis ſummo gradu civibus hominibusque conſtans. Sed profecto & pauci erunt ita contaminati vitiis flagitiisque, ut nec divinum, nec rectæ rationis unquam ſequantur ductum.

§. II. Perinde ſe res habet in regnis & in τῶν ἀρίςων gubernaculis. Quis nobis dederit Regem, quis Optimates, ſola virtute eminentes, ad ſalutem communem omnia & ſingula examuſſim dirigentes? Quare etiam non habeo quos opponam. Valde enim metuo, ut unicus detur Tyrannus, qui aut omnes habeat Tyranni notas, aut ſi habuerit, non aliquando mentem flectat ad meliora; &, ſi non Divinæ veritatis, in vivifico verbo, certe rationis rectæ intuitus

tuitus ſpeculum ſtricturas boni regiminis aliquas emittat. Si qui ſunt, *ἄθλοι* erunt, quales ſoli voverem Vtopiæ. Interim, uti & bonos vocamus, qui licet non ſint immunes a malo, tamen a peſſimis recedant longius; ita & pro bonis Regibus habemus utcunque bonos, & pro Optimatibus venditamus, quorum longe melior vivendi, proin regendi ac ceterorum, fuerit ratio. Non aliter comparatum cum Tyranno. Nulli, aut certe pauci fuerunt, quorum regimen ita comparatum, ut omnia, & ſemper & acerbe ad ſuam retulerint utilitatem; ne per accidens quidem quærendo ſubditorum commodum. Plures attamen fuere, qui pleraque in ſuum traxere emolumentum, & in ſuos plerumque ſævière: qui in cenſum Tyrannorum venire creduntur: quos & nos in Tyrannorum ſortem (pro captu vulgari) in ſequentibus cooptabimus: imo & Tyrannica nonnullorum notabimus, quamvis ipſi non niſi illis artibus fuerint Tyranni. Interea nemo in eam opinionem veniat, ac ſi principia aut vellicem, aut damnem Ariſtotelica. Quicunque enim *ὑποθέσεις* tanti Philoſophi conſiderat, non modo aliter vix potuiſſe tractare, ſed ex re juventuris deprehendet, ejuſmodi *ἀκρίβεια* uti in proponendis diſciplinis, quamtumvis non ſemper praxis ipſa accurationem illam admittat.

§. III. Cum igitur primæ quæſtioni utcunque ſatisfeciſſe opinemur, reſtat nunc origines Tyrannidis *παχυλῶς* dictæ inquiramus. Et primo quidem diſpiciendum fuerit, an Tyrannis Regno antiquior: dein quibus modis oriatur ex aliis Rerump. formis.

§. IV. Pro regni antiquitate pronunciat Ariſtoteles, *βασιλείαν πρώτην καὶ θειοτάτην* appellans. Taceo alios. Juſtinus Hiſtor: lib. I. cap I. *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes Reges* fuiſſe aſſerit: quod ne de malis Regibus ſive Tyrannis capias, ſequentia declarant; *quibus eos ad faſtigium hujus majeſtatis non ambitione populari, ſed ſpectata inter bonos moderatione provectos* tradit.

§. V. Hæc regni antiquitas quo pateat evidentius, pi-

os

os quosdam, doctosque ſecutus, rem ita ſe habere exiſtimo. Principio rerum Deus Opt. Max. domeſticam & ſocietatem & poteſtatem inſtituit: cujus providentia cum ingenti numero genus humanum augeretur, homines quodam quaſi naturæ inſtinctu ad vitam ſocialem ſuique conſervationem, accedente præſertim neceſſitate & egeſtate, fuiſſe videntur excitati: ut adeo quem juſtitiæ, prudentiæ aliarumque virtutum laude præcellere noſſent, illum ſibi Regem elegerint. Ac jeciſſe Deum fundamenta Hierarchiarum, Eccleſiaſticæ, Politicæ & Oeconomicæ in ipſo mundi exordio, plurimi Theologorum docent: ex quibus nonnulli probabile eſſe ſtatuunt, etſi in iſto innocentiæ ſtatu permanſiſſent Protoplaſti, ordinem tamen quendam, & relationem in conſulendi eligendique munere futuram; haut dubie ſub capite Adamo, qui totius generis humani auctor imperio dignisſimus fuiſſet habitus. Poſt lapſum non ſine cauſa conjiciunt nonnulli, Adamum, ut liberorum patrem, & auditorum Paſtorem, ita & bonarum familiarum, dum viveret, Principem, ac iis ſaltem moderanter forma Imperii patrii imperaſſe. Multiplicato autem genere humano, cum familiæ nimium diſperſæ, ac in vicos & civitates coiſſent, credibile itidem eſt, ad modum regiminis prioris, auctoritate Principis ſui, ſenioris familiæ & Patriarchæ, reliquos gubernatos fuiſſe forma imperii patrii. Sed apud impios Cainitas videtur regnum violentius ortum cum Caino, quem probabile eſt urbe condita herile regnum, adhuc patre vivo fundaſſe, mortuo firmaſſe, & filiis atque poſteris tradidiſſe. Poſt diluvii pœnam novum emerſit ſub Noacho imperium, cœlitus legibus ac gladio armatum, cujus formam eandem fuiſſe, quæ priorum antea, atque in Semi poſteris diu poſtea obtinuiſſe, a vero non abludit. At enim quando Noachi poſteri undique diſperſi orbem prope univerſum implerent, paulatim varia regna & principatus oriebantur: veruntamen intra ſingulas fere urbes conſtricta.

§. VI. Ab his autem abit Bodinus lib. II. de Repub. cap. II. dum pro Dominatus (quæ Tyrannidis legitimæ ſpecies) antiquitate militans in hæc erumpit: *Principio re-*

mur, quo ſocietas hominum coaleſcere cœpit, ac Reipubl. forma quadam conſtitui, unius imperio ac dominatu omnia tenebantur. Fallit autem Ariſtoteles, qui aureum illud genus hominum, fabulis Poetarum quam reipſa illuſtrius, Reges heroas ſuffragio creaſſe prodidit; cum omnibus perſuaſum ſit ac perſpicuum, monarchiam omnium primam in Aſſyria fuiſſe conſtitutam, Nimrodo Principe; quem ſacræ literæ potentiſſimum venatorem appellant. Loquendi genus Hebræis familiare, quo verbo latronem ſignificari volunt. Veteres enim, Plato inquam, Ariſtoteles, Xenophon latrocinium inter genera venationum poſuerunt. Nam ante Nimrodi ætatem æqua erat omnium libertas: primus hic dominatum arripuit, & liberos homines ſervire coëgit; qui propterea dictus eſt Nimrodus, id eſt dominus metuendus.

§. VII. Ceterum ut taceamus, nec deeſſe interpretes, venationem non humanam, ſed belluinam Nimrodo tribuentes; licet vel maxime Nimrodus violenter ad ſe traxerit imperium, admodum tamen vero videtur ſimile, ante Nimrodum fuiſſe regna, utut minora, quæ is tyrannice invaſerit. Interim ſi quis præfracte inhæſerit majori dominationis antiquitati, non adeo quidem repugnaverim; modo indubitatæ veritatis maneat, ut a Deo regna, ita, quo propius ad Tyrannidem flectunt, Dominationes, ſi non auctorem, tamen in nefariis incentorem habere Diabolum. Neque quod permittat Deus, qui peccata vel ſubjectorum vel ſubjiciendorum per violenta regentium puniantur, quicquam labis redundat in Deum, juſtisſimum ſceleratorum vindicem.

§. VIII. Variis autem, & tantum non innumeris modis Reſpublicæ, tam rectæ, quam malæ, minuſve bonæ in Tyrannidem erumpere poſſunt, ſolentve. Secundum ὑποθέσεις Ariſtotelicas ex bonis Rebuspublicis non facile reſul abunt Tyranni. Quomodo enim Rex in civitate optimus, & non ſingulos modo, ſed univerſos virtute perfectiori ſuperans degenerabit in Tyrannum? Quo pacto inter Optimates, omne ſuum ſtudium in quærenda, conſervandaque communi ſalute collocantes, unus excuſſo rectæ rationis imperio, naturæ vim illaturus, neglecta communi, privatum unice ſpe-

ce ſpectans commodum, jugum ceteris optimatibus populoque imponet? Qua ratione ex populo ad virtutis præſcriptum vivente regenteque emerſerit Monarcha peſſimus?

§. IX. At vero quia ejusmodi Reſpubl. rectæ ἀκριβῶς loquendo non reperiuntur, nec repertæ unquam, quod humanum genus originali peccato miſere infectum, ad illud virtutis culmen, ac exercitium juſtum aſpirare nequeat; in locum formarum perfectarum ſufficio, quales in hac conditione haberi poſſunt: quarum quidem tanta eſt varietas, ut facilius capillos capitis ſingulos numeraveris, quam computationem harum inieris. Computationem dico; nam deſcribere nec quisquam tentavit unquam, nec niſi conatu irrito tentabit.

§. X. Et tamen tam innumeras Rerumpubl. ſpecies non exemerim Rerumpubl. ſpeciebus Ariſtotelicis, ſive ſimplicibus, ſive compoſitis: modo quis attenderit, compoſitionis modos, & modorum diſcrimina tantopere variare: ut propemodum affirmare auſim, nunquam fuiſſe, nec futuram Rempubl. quæ alteri ejusdem generis, modis omnibus, & tanquam ovum ovo reſpondeat.

§. XI. Neque hic accuſanda negligentia Philoſophorum ſummi. Præterquam enim quod in politicis non paucas detexerit, & revera exiſtentes, quæque alias poſſint exiſtere Rerump. ſpecies; incredibilis in hoc genere appareret induſtria, niſi aureum opus πολιτειῶν, quo quinquaginta ultra ducentas non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ Reſpubl. deſcripſerat, per temporum injuriam deperditum: cujus jacturæ recordatio non poteſt non civilis prudentiæ cupidos gravi dolore afficere. Vtut autem hæc ſi ſola ſpectetur, fœcundisſima foret ſeges, ſi tamen cum Rebuspubl. quas nec perveſtigavit, nec indagare licuit Philoſopho, compoſueris, exiguus erit paucarum ſpecierum manipulus.

§. XII. Enimvero revocet ſibi quis in memoriam, quot genera, quot ſpecies generaliores, quot ſpecies ſpecialiores & ſpecialisſimæ a condito orbe uſque ad diluvium, exin ad natum usque Servatorem, & deinceps ad præſentem

diem

diem fuerint,& quot adhuc futuræ ſint; perpendat etiam Rerumpubl naturam, non in nudis illis Monarchiæ, Ariſtocratiæ,& Politiæ,ac his oppoſitis Tyrannidis,Oligarchiæ, & Democratiæ,ut & compoſitarum nominibus; ſed in interiori, quæ paucis, & ſæpe ne regentium ſingulis cognita facie, mutationibus diurnis, menſtruis, annuis, obnoxia, ſubſiſtere. Et tum quidem facile deprehendet, aſſertionem meam de innumeris Rerumpubl. ſpeciebus, ſi non aſſenſum, exploſionem tamen non mereri.

§. XIII. Quæ cum ita ſe habeant,nullo negotio intelliges,prope ἐκ τῶν ἀδυνάτων eſſe,ſingulas quarumvis Rerumpubl.mutationes & modos, ac modorum cauſas ortusque detegere. Unde nec a me jure quis poſtulaverit, vel exſpectaverit modos rationesque, quibus aliæ Reſpubl. in Tyrannides, ſive affines iis dominationes abierint.

§. XIV. Generatim tamen certum mihi videtur, plerumque Reges,aliquando Optimates,rariſsime ex populari regimine nonnullos Tyrannorum indolem moresque induere. Quoniam ſcilicet unus homo jam tum ex natura per lapſum depravata, & vel per parentes, vel præceptores, vel miniſtros, vel conjugem, vel liberos, vel cognatos,pluribusve modis aliis magis corrupta, liberius frena laxat appetitui,ut divinarum humanarumque legum incurioſus ſenſim atque pedetentim, quandoque & ſubito Tyrannidem affectans, &,ſi nemo reclamarit, nemo reſtiterit, exercere potis ſit licentiam. Etiam ubi pauci obtinent imperium,unus,vel ſangvine,vel divitiis, vel aliis prærogativis eminens ſibi arrogaverit imperium, magis magisque legibus ſolutum.Quod non tam facile, ceu equidem exiſtimo,ſuturum,ubi omnes,vel plurimi ſaltim ſaluti publicæ intenti,nequid detrimenti capiat Reſpubl ſollicite provident. Luculento nobis eſt exemplo inclyta Reſp. Veneta, quam per tot ſecula nullum infeſtare, nullum, quod ad ſummam rei aliquid perficeret, turbare potuit dominium: cum imperantes ſinguli tantopere ſuis publicisque invigilent commodis.Ceterum quomodo vel corrumpantur Reges,

ges,ſive actu tales,ſive potentia(ut cumPhiloſophis loquar) ut inTyrannos degenerent, aut tyrannicis indulgeant,capite ſequenti delineabimus.

CAPVT IV.
QVOMODO EX REGIBVS FIANT TYRANNI.

SVMMARIVM.

§. I.

Regium regimen facile declinat inTyrannicum. Cauſæ multiplices. Propoſitio capitis cum promiſſo. II Virtutis excolendæ tria requiruntur: Natura,Doctrina,Conſvetudo. *III.* Natura *hoc loco notat capacitatem ad virtutem. Græcis* Ευφυΐα *dicitur, quam*Rachelii *diſſertatio illuſtravit. IV. Vitii fundamentum mala indoles,cui prava doctrina imponit deteriora,peſſima conſuetudo abſolvit deteſtabile opus. V. Quæſtio: Unde bona & mala indoles oriantur.* Ευφυΐας *præcipua ſedes Anima, cujus auctor Deus. Niſi lapſus homo,* ευφυΐα *ei fuiſſet perpetua. Poſt lapſum in* Ευφυΐας *locum ſucceſſit* κακοφυΐα: *quæ ſe etiam in civilibus exſerit. Nemo ſine vitio naſcitur. Originalis labes fons vitiorum omnium. Hæc ſi perſpecta Ariſtoteli,aliter Philoſophiam compoſuiſſet. Naturam tamen corruptam vidit: non item ejus ortum, qui ſola innoteſcit revelatione. VI.* Ευφυΐας *ſcintillæ remanſere Ex Spiritus S. fomentis & augmentis habent opus. Objectioni de Gentilium virtute reſpondetur. Externa ſimulacra virtutum in Ethnicis; internis virtutibus caruere. Virtutem* propter ſe *expetendam docentes,non* propter ſe *ſecuti. VII. Quod contaminatæ per Peccatum Originale indolis* ευφυΐας *reliquum,habet cœlitus. Hoc Ariſtoteli non incognitum.* κακοφυΐα *a Diabolo. VIII. Magnatum liberi diverſimode circa* ευφυΐαν *ſe habent. Aliquibus major, nonnullis minor, minima quibusdam. Quæritur, Unde illa differentia. IX. Reſp. Sunt in his admiranda,præſertim ſi optimis Parentibus naſcantur fi-*

D lii

lii extreme improbi: quales Commodus *M. Antonini*, & Wenceslaus *Caroli IV. X. Regum natales ſollicitare temerarium, impium. Siniſtri rumores obvelandi. Commodus creditur adulterio gladiatoris conceptus. Nefandus concubitus monſtroſos profert Principes. Parentum malorum liberos patriſſare, teſtimoniis firmatur & exemplis. XI. Educatio maximopere ſpectanda, quæ inprimis Tyrannos facit. XII. Cum nutricum lacte malitiam ſuxere Romulus & Caligula. Nutrices truculentæ truculentiam inſtillant infantibus. Cibos & vina generoſa non tangant pueri. Vinolentiæ in truculentiam ſolutæ exempla. XIII. Parentes ad ſcelera conniventes, vel foventes, aut docentes, tyrannicam liberorum naturam promovent.* Neronem *a Philoſophia mater,* Carolum VIII. *a literis avertit Pater Ludovicus XI. Ludoviciani conſilii fructus. Bellajus Nobilitatem meliora docuit. XIV. Præceptores peſſimi. Neronis pædagogi Saltator & Tonſor. In* Senecæ *Neronianam educationem inquiritur, & taxatur, præeuntibus* Plutarcho, Auſonio, Mariana. *XV. Miniſtri mali. Miniſtrorum differentia pro dignitate. Magnatum in infimos leviſſimosque amor.* Wenceslai *compater carnifex. Miniſtrorum malitia corrumpendis Dominis clarius detecta. XVI. Exempla in hanc rem. Davidis legatorum violationem ſuaſere Miniſtri Regis Ammonitici; Reſponſa tyrannica juvenes Roboami conſiliarii; Parricidium, Achitophel;* Anaxarchus *Alexandro licentiam omnimodam.* Tigranem *corrupit aſſentatio amicorum.* Henricus IV. *Angliæ Rex malis dimiſſis probos legens miniſtros populo acceptus.* Vitellius *ad hiſtrionum & aurigarum arbitrium imperavit.* Bagoæ *ſuaſu innocens Orſines ab Alexandro everſus. De* Sejano *Tiberii,* Tigellino *Neronis,* Perenni & Cleandro *Commodi,* Arbetio & Euſebio *Conſtantii perditis miniſtris ex hiſtoria. XVII. Vxor Principis ad tyrannidem mariti cauſa. Tales* Iezabel, Jorami *item* uxor, Agrippina, Fauſtina. *Egregia M. Antonini ad Fauſtinam epiſtola. XVIII. Concubinæ inter carcinomata. Ptolemæi* Agathoclia, *Chriſtierni II. Daniæ Regis* Columbula. *XIX. Conſuetudinis in tyrannicis maxima vis. Hanc promovent Cupido regnandi, &*

XX. Imperii diuturnitas.

§. I.

§. I

NOn aliud regimen, præ regio, ad Tyrannica fere magis declinare, omnium ſeculorum experientia loquitur. In cauſas ſi inquires, tam multiplices profecto deprehenderis, ut, niſi temporis ociique affatim, ſingulas accuratius enumerare, ac diſponere non ſit integrum. Viam tentabimus tamen aperire, quam ſi preſſere alii (id forte, & ſtudio ſingulari, nobis tamen hactenus ignaris, factum) cum tempore noſtra iis conſerre, & quæ commode minus dicta, ad illorum ductum dabitur emendare.

§. II. Ad virtutem rite excolendam tria præcipue requiruntur, Φύσις, Μάθησις, Ἄσκησις: *Natura, Doctrina, Aſſvefactio* Vnde cap. ultimo ultimi ad Nicomachum §. XII. legas: *Bonos autem fieri putant, alii Natura, nonnulli Conſvetudine, quidam Doctrina.* Et Polit. lib. VII. cap. XIII. *Tribus autem rebus probi & boni viri efficiuntur: Natura, Conſvetudine, Doctrina.* Sic & cap. XV. *Antea poſuimus Natura, Moribus, & Ratione opus eſſe.*

§. III. Per Naturam autem (nam de doctrina & conſvetudine res perſpicua) hoc loco nil aliud intelligo, quam naturalem hominis ad virtutem capacitatem, quam Græci eleganter nomine uno εὐφυΐαν, Latini *bonam Indolem* dixere, eandemque Samuel Rachelius, quondam florentisſimæ Juliæ, nunc nobilisſimi Kilonienſis Athenæi rarum decus, ſingulari, &, ut omnia Viri, limata diſſertatione explicuit.

§. IV. Sicuti igitur Virtus bonam ſupponens *Indolem*, *Doctrina* aucta *Conſvetudine* perficitur; ita Vitium *malam* plerumque *Indolem* mali fundamenti habet loco, cui *prava Doctrina* inædificat deteriora, abſolvit deteſtabilem ſtructuram *Conſvetudo peſſima*.

§. V. At non immerito quæras, unde tam bona, quam huic contraria indoles ſuam trahat originem. Habet εὐφυΐα animum præcipuam ſedem, licet aliquid non raro trahat a corpore. Igitur ſi de indolis ortu diſpiciendum, non poſſumus non ad animæ principium devenire. Hanc

primitus a Deo, atque adeo omnino bonam fuiſſe, ſi non aliquali naturæ lumine, certe S. Scriptura auctore gravisſimo docemur: quæ primum hominem in *Sanctitate* ac *Juſtitia*, quas virtutes inprimis ad animum ſpectaſſe novimus, creatum atteſtatur. Quod ſi igitur homo in primæva ſubſtitiſſet innocentia, non modo εὐφυΐα illibata ſemper & intacta manſiſſet, verum homo plane pleneque εὐφυής, nulli contrariæ facultati fuiſſet obnoxius. Poſteaquam autem per Diaboli invidiam peccatum introivit orbem, ac non modo Adamum & Evam, ſed quotquot ex illis nati, & quot naſcentur ab illis, infecit, tantum abeſt ut exin quisquam hominum ſimpliciter talium cum ſingulari εὐφυΐα natus, ut potius omnes & ſinguli deterrimam κακοφυΐαν contraxerint: quæ non modo in ſpiritualibus omnibus præcipue, ſed & in pluribus civilibus, ac naturalibus haud obſcure elucet. Quamobrem, ſiquidem accurate velint loqui, haud temere Chriſtianis Philoſophis aſſerere licuerit, ſine vitio naſci hominem: quandoquidem profecto cum ea naſcatur labe, quæ omnium vitiorum baſis eſt ac ſcaturigo. Equidem ſic exiſtimo, Philoſophum (modo de his edoctus admiſiſſet) longe aliter, ac nunc habemus, ſapientiæ civilis ſtudia ordinaturum. Rem ipſam, hoc eſt, naturam hominis fere ſemper ad malum eſſe pronam, pro acumine ſuo perſpexiſſe, inſignia quædam veſtigia arguunt: at ſine Scriptura duce, ipſum, unde illa malitia emanarit fontem, inveſtigare nequaquam potuit.

§. VI. Cum igitur nulla abſoluta hominis ſic dicta poſt lapſum ſit εὐφυΐα, ſcintillas tamen quasdam, & ſtricturas eſſe reliquas, minime negaverim. Has vero niſi a S. Spiritu foveantur, illuſtrentur, formentur, in ſpiritualibus nihil, in civilibus parum proficere (ſaltim inter Orthodoxos Theologos) confeſſæ veritatis eſt. Sed forte aliquis has naturæ luminis reliquias in civilibus multum potuiſſe, ac poſſe objecerit: cum præſertim tantus Gentilium numerus præclarisſima virtute excelluerit. Veruntamen quam ad curtam ſuppellectilem reduceretur ille numerus, ſi in ſingu-

ſingulorum vitam,mores, inſtituta, ac vivendi finem datum inſpicere. Externis, fateor, virtutibus virtutumque ſimulacris reſplenduere multi, ut his etiam plurimos Chriſtianorum in ruborem ſint daturi: at ſi interius introſpexeris,corda eorum fœde commaculata, ambitione, invidia, ac ceteris vitiis turgida inveneris. Et licet vel millies legerim, *Virtutem propter ſe expetendam*, ſtatuiſſe Sapientes,tamen nec unicum horumSophorum repererim, qui *propter ſe* virtutis amore flagrans, in illo virtutum exercitio voluptatem quæſiverit, inveneritve.

§. VII. Ceterum ut tandem,quorſum ſpecto, deveniam; cum εὐφυΐα ἁπλῶς in homine poſt lapſum nulla, κακοφυΐα illa, quo etiam minori gradu deprehendetur, in εὐφυΐας cujusdam locum poterit ſuccedere. In quantum autem illa εὐφυΐα quidquam habet boni,non habet niſi a Deo,omnis boni auctore optimo maximo. Quid ni auſim affirmare etiam id perſpexiſſe Ariſtotelem? utpote divino quaſi afflatu percitum in hæc erumpentem: *Quod ad naturæ bonum attinet, non eſt id penes nos, ſed divina quadam ex cauſa ineſt vere felicibus.* E contrario quicquid mali huic,quam ſic vocamus εὐφυΐα impactum, non habet niſi a Diabolo,incentore ac ſatore omnis mali.

§. VIII. Quo igitur hæc tractationi meæ applicem;ſic quidem exiſtimo, ut aliorum hominum,ita quoque Regum & Magnatum reliquorum liberos circa hanc εὐφυΐαν ſe habere diverſimode. In nonnullis major, minor eſt in aliis,in quibusdam minima. Et hi quidem, quibus infimo quaſi gradu ineſt illa εὐφυΐα, in pesſimos quin deinde degenerent, vel minimum facillime degenerare posſint, ſalva aliorum ſententia, equidem opinor. Verum hic occurrit difficultas non levis: Vnde demum illud omne ſit quod ſive κακοφυΐα, ſive, εὐφυΐα in diverſis hominibus, anima tamen rationali præditis ſingulis,tanto diſtet intervallo.

§. IX Fateor,nemini ſatis hac de re conſtare; præſertim ſi quando accidat optimis pro humanitate Regibus na-

ſci Principes naturæ adeo corruptæ, ut nulla diſciplina potuerint corrigi, nullis præceptis atque exemplis emendari. Duo nunc ſuccurrunt ſpecimina, unum in Antonino Commodo Imp. alterum in Wenceslao Bojemiæ, Germaniæque Rege. Et ille quidem Patrem habebat M. Antoninum, quem *ſanctitate vitæ omnibus Principibus antecelluiſſe*; quem *amore omnium imperaſſe*; quem *a Diis commodatum ad Deos rediiſſe*, commune ſuffragium ſecutus tradit Julius Capitolinus. At quis erat Commodus? Is, *cui diſciplinarum magiſtri nihil profuerunt*: is, *qui a prima ſtatim pueritia, turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, ore quoque pollutus & conſtupratus fuit* is, *qui jam in iis artifex, quæ ſtationis Imperatoriæ non erant: ut calices fingeret, ſaltaret, cantaret, ſibilaret, ſcurram denique & gladiatorem ſe perfectum oſtenderet*: quæ ſingula ſunt Ælii Lampridii, inter Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores. In Wenceslao Caroli IV. glorioſiſſimi Cæſaris filio, ab ineunte pueritia adeo nihil fuiſſe accepimus regii, ut *plurima regni decus denigrantia* (ſic loquitur Gobelinus Coſmodromii ætate VI. cap. LXX.) *commiſerit*: quæ hic enumerare, nec vacat, nec mei foret inſtituti. Quanquam & in ejus hiſtoria non pauca ab adverſariis Huſſitarum conficta opiner.

§. X. Regum natales ſollicitare impietatis & dementiæ eſt. Nam licet forte ſiniſtri quidquam ferat rumor, hæc ſancte tamen celanda, ne in vulgus abeant, ſacrato capiti deſpectum contrahentia. Antiquiora tutius recenſeas. Et de Commodo quidem haut improbabile, potius gladiatore adultero, quam Patre Philoſopho natum. Adſcribam Julii Capitolini: *Ajunt quidem (quod & veriſimile videtur:) Commodum Antoninum ſucceſſorem illius ac filium, non eſſe de eo natum, ſed de adultero: ac talem fabellam vulgari ſermone contexunt: Fauſtinam quondam Pii filiam, Marci uxorem cum gladiatores tranſire vidiſſet, unius ex his amore ſuccenſam cum longa ægritudine laboraret, viro de amore confeſſam. Quod cum ad Chaldæos Marcus retuliſſet; illorum fuiſſe conſilium, ut occiſo gladiatore, ſanguine illius ſeſe Fauſtina ſublavaret, atque ita cum viro concumberet. Quod cum eſſet factum, ſolutum quidem amorem, natum vero*

Com-

Commodum gladiatorem eſſe, non Principem: qui mille prope pugnas publice populo inſpectanti gladiatorias Imperator exhibuit. Quod quidem veriſimile ex eo habetur, quod tam ſancti Principis filius his moribus fuit, quibus nullus laniſta, nullus ſcenicus, nullus arenarius, nullus poſtremo ex omnium dedecorum ac ſcelerum colluvione concretus. Multi autem ferunt Commodum omnino ex adulterio natum, ſiquidem Fauſtinam ſatis conſtat apud Cajetam conditiones ſibi & nauticas, & gladiatorias elegiſſe; de qua cum diceretur Antonino Marco, ut repudiaret, ſi non occideret, dixiſſe fertur: Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem. Quod infortunii obtigit Cæſari Philoſopho, multi alii forte in antiquis ſunt experti: ut facile idcirco ex nefando concubitu monſtroſi prodierint Tyranni. Interim ſi mali ſint, ſi Tyranni Principes; ecquid mirum *κακοῦ κόρακος κακὸν ὠὸν* excludi. *Naturaque ſuæ ſemina quemque ſequi?* Jam olim Calipho Plautinus in Pſeudolo admirationem hic voluit excluſam:

Id ne tu mirare, ſi patriſſat Filius?

Iſidorus Peluſiota lib. III. Ep. CCCCXI. rationi conſentaneum & perſpicuum arbitratur, ex intemperie Parentum prolem quoque intemperiem accipere. Græca ſic habent. *τὸ μὲν ἐκ δυσκρασίας τῶν γονέων καὶ τὰ τικτόμενα δύσκρατα εἶναι καὶ εἰκὸς καὶ δῆλον.* Neronis id illuſtrabit genitura: *de qua ſtatim multa, & formidoloſa multis conjectantibus, præſagio fuit etiam Domitii Patris vox, inter gratulationes amicorum, negantis quidquam ex ſe & Agrippina niſi deteſtabile & malo publico naſci potuiſſe*: ut eſt apud Svetonium cap. VI. Brutus apud Dionyſium Halicarnaſſeum graviter: *Quando Tarquinius & ſero improbitatis curriculum ingreſſus, in omnibus Tyrannicis vitiis ſe gnaviter exercuit, qualem exiſtimabimus evaſuram ejus ſobolem malo genere natam maleque educatam?*

§. XI. Recte Brutus generationi educationem jungit. Neque enim ſemini aut aſtrorum influxibus tantum tribuo quantum educationi. Imo huic non dubitaverim ſummam rei in utramque partem adſcribere. Notum eſt illud Poetæ: *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem*
Teſta diu,

Nec

Nec ineleganter ea de re cecinit Marcellus Palingenius:

Permagni refert etiam, quos quiſque parentes
Accipiat, quo ſit pacto nutritus, & a quo
Inſtructus, nam quos mores puer adbibit, & quas
Artes a teneris didicit, retinebit adultus.
Illa diu durant, animisque tenaciter herent,
Quæcunque a primis naſcentes hauſimus annis.

Scilicet prout primæ ſe habet ætatis educatio, ita plerumque cadunt mores, ac rariora ſunt exempla corruptarum per adoleſcentiam mentium, in melius ingraveſcente ætate mutatarum. Educatio ergo prava eſt, quæ præcipue Tyrannos facit, quam non promovent modo Præceptores ſpeciatim ita dicti, ſed Nutrices, Parentes, Magiſtri, Miniſtrique.

§. XII. Remum cum fratre Quirino latrociniis addictos nonnulli putant, quod lupino lacte nutriti ferantur. Sed ſi lupa illa meretriciis addicta artibus, quid boni ſugere vel ab illa licuit? Caligula omnium fere quos Sol adſpexit peſſimus tyrannidem ſuam non ex parentibus, ſed improba nutrice ſuxiſſe dicitur. Quod ſi igitur Regius infans in horridam, ſævam, ac truculentam inciderit nutricem, cum deinde tyrannici mores ſe prodiderint, de cauſarum una effectus teſtabitur. Ad hanc claſſem revocare liceat cibos & vina generoſa, calidos ſpiritus & quandoque truculentos inſpirantia. Etiam hoc inter cetera deſignaſſe opinor ſapientisſimum Platonem, cum ante annum octavum decimum a pueris tangi nolit vinum. Et Ariſtoteles quoque τέκνων σώματα ἀνιοτέρα cupit, διὰ τὰ νοσήματα. Polit. VII. XVII. Non ignarus rationis noſtræ Seneca lib. II. de Ira caput XIX. his obſignans: *Vinum incendit iram: quia calorem auget pro cujusque natura.* Et ſequenti cap. *In hoc noſſe profuit, ut calentibus ingeniis ſubtrahas vinum; quod pueris Plato negandum putat, & ignem vetat igne incitari.* Sed μεθυσθέντα ἄνδρα, τυραννικὸν φρόνημα ἴσχειν, *Virum ebrium tyrannicum gerere animum* (quod Platonis eſt lib. IX de Rep.) paucis demonſtrabimus. Gentium Illyricorum Regem *violentiam ingenio inſitam vini intem-*

peran-

perantia accendiſſe Livius auctor eſt lib. XLIV. Quid non deſignavit Cambyses vino nimis deditus? ut merito exſecretur Seneca lib. III. De Ira cap. XIV. *tyrannum convivia ſuppliciis funeribusque ſolventem.* Nonne Alexander crapula diſtentus *etiam in ſuos ſevit?* Patre vel in hoc deterior, cui *de convivio in hoſtem procurrere moris*: affirmante Juſtino fine lib. IX. Cajus *poſtquam ad ſatietatem usque cibo & potu ſe ingurgitavit, multos amicorum de ponte, quem recens ſuper mare conſtruxerat, in mare projecit, multos navibus roſtratis circumvectus ſubmerſit*: ut eſt apud Dionem lib. LIX. Poſſem recentiora afferre. Sed nolim tangere hoc ulcus.

§. XIII. Venio ad Parentes, ſi iſti connivent filiorum ſceleribus, aut fovent quoque, vel, quod omnium deteſtabile, docent; quomodo non ad vitia flagitiaque Tyrannica, ut indomitus ſine fræno equus, præcipiti curſu proruerent? Quam bene fuiſſet Neroni ſe ſtudio immerſiſſe ſapientiæ, quam unice hauſiſſe oratoriam ac Poeticen, fucatas ſine Philoſophia artes! *Sed a Philoſophia* (ſic habet Svetonius cap. III.) *eum avertit mater: monens imperaturo contrariam eſſe.* Et quid damni dediſſet Carolo VIII. Gallorum Regi, ſi ſupra illud: *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare,* alia regno profutura didiciſſet? Verumtamen plura diſci noluit Ludovicus XI. Pater: quem item crediidiſſe reor, doctrinam non modo corpus ſed & animum frangere. Ac profecto Ludovicianum præceptum tam avide arripuerunt Galli ſui principis, ut iſto ævo nullum literarum genus non contempſerint. Vincentius Lupanus id memoriæ tradidit libro I. de Magiſtratibus Francorum, qui Gvilielmum Bellajum, cum bellicæ literariam junxiſſet gloriam, deinceps primum Gallos docuiſſe tradit, Nobilitati non officere bonas literas.

§ XIV. Ad Præceptores accedens Neronem denuo in ſcenam duco. Quid is præclari audire, ac videre potuit, ſub nobili, ſi Deo placet, Pædagogorum pari, *Saltatore atque Tonſore*? quos Tranquilli diligentia non prætermiſit cap. VI. Neronianæ hiſtoriæ. Reſtituere rem debuiſſet Annæus Seneca, idque eo magis, quo maturius immanitatem natu-

ræ animadverteret. *Nam erudiendo ei in palatium adductus ſævum immanemque natum ſenſit cito*: ut ad Sat. IV. ſcribit Scholiaſtes Juvenalis. Idem tantum Imperatoriæ juventæ moderatorem inter familiares affirmat ſolitum dicere: *Non fore ſævo illi leoni, quin guſtato ſemel hominis cruore, ingenita redeat ſævitia.* An vero *mitigaſſe* putas immanitatem, quod eidem Auctori placet? Credo. Sed de artibus legitimis dubito. Nam *voluptates*,quas ille vel ex Taciti mente *conceſſas* habebat, quibusque *lubricam Principis ætatem retinere* ſtuduit, nemo ſapientior probaverit. Quamobrem multa periculoſe indulſiſſe reor, ac non raro in illa educatione videntem meliora probantemque, deteriora ſecutum. Neque nos primi ſumus, qui hic deſideremus aliquid in Seneca. Jam pridem id fecit Plutarchus Epiſtola ad Trajanum, quam latine ſervavit Joh. Saresberienſis de Nugis Curialium lib. v. cap. I. *Tuæ*, ſcribit, *virtuti congratulor, & fortunæ meæ, qui tam recte geſſeris, quem probe meruiſti. Alioquin Te periculis, & me detrahentium linguis ſubjectum iri non dubito, cum & ignaviam Imperatorum Roma non ferat, & ſermo publicus delicta diſcipulorum refundere ſoleat in Præceptores. Sic Seneca Neronis ſui merito detrahentium carpitur linguis, adoleſcentium ſuorum temeritas in Quintilianum refunditur; & Socrates in pupillum ſuum fuiſſe clementior criminatur.* Mitem dixeris Plutarchum præ Auſonio, qui exquiſita gratiarum actione ad Gratianum Imperatorem, quondam diſcipulum,in hæc erumpit: *Dives Seneca, nec tamen Conſul, arguetur rectius, quam prædicabitur, non erudiſſe indolem Neronis, ſed armaſſe ſævitiam.* Ex junioribus Johannes Mariana Jeſuita Hiſpanus lib. II. de Regis inſtitutione cap. III. eodem nomine reprehendit Senecam. Verba ejus ſunt: *Ab omni memoria multos Principum inſtitutores peccaſſe invenio, aut metu exacerbandi Principem, aut cupiditate eorum gratiam iniqua indulgentia promerendi. In iis Romæ Seneca, ſummus quamvis Philoſophus, erudiendo Nerone Principe accuſari fortasſis poſſet, prava inſtitutione naturæ vitia auxiſſe, accepiſſe alia. Scimus quidem Senecam a Nerone peremptum: (ea merces diſciplinæ fuit.) Impie dices, & immaniter. Quis id negat? Quis non videat?*

Sed

§. XV. Poſſes etiam Miniſtros ad Magiſtrorum referre claſſem: at quia illi potisſimum creſcenti admoventur ſpei, hi etiam adultæ ætati adjunguntur, de iſtis, quantum ad Tyrannica valeant, diſpiciemus. Miniſtrorum quadruplex fere differentia: quorum nonnulli in infimis occupati miniſteriis, plures mediocri fortuna; aliqui in eminenti dignitate collocati; paucisſimi & plerumque unus, ſummam rerum ſub elogio Domini gubernant. Nullus horum ordinum, qui non inſtillare, quandoque & inſpirare valeat mores, conſilia, facta tyrannica. Priores tanto posſunt minus, quanto rarior cum Regibus converſatio. Fit quidem interdum ut Magnatum amor in ſaltatorem, citharœdum, cupediarium, fartorem, ſartorem, fabrum, pictorem cadat; & plerumque Potentes ex infimis miniſteriis aliquos diligunt præ ceteris, qui deinde rimando inclinationes, & clandeſtinis technis ſe inſinuando, aucupandoque temporum momenta, incredibilem ſæpe excitant malorum abyſſum. Wenceslaus Rex ac Imperator degener carnificem habuit in deliciis, quem compatrem ſalebat appellare. Neque tamen tam frequentia hæc puto, quam quod mediocres, & ſummi, ac inter hos, quem vocant, Miniſtrisſimus, Monarchas corruperint. Profecto nonnullorum Principum indoles bona, ſvavis, & vere humana: cum præſertim probis parentibus nati, aut in bonos ſaltim incidere educatores ac magiſtros. Attamen præclara hæc indoles inclinatur frangitur, eradicatur prope, ſi miniſtri non niſi rigida ſub gravitatis, avara ſub parſimoniæ, mollia ſub honeſtæ recretionis, luxurioſa ſub magnificentiæ, mordacia ſuburbanitatis fucata ſpecie laudant, commendant, ſvadent. Cum ære emungendi ſubditi, cum tollenda jura, immunitates, privilegia, vel a majoribus, vel anteceſſoribus, vel ab ipſis conceſſa, jus regium ac eminentis dominii illimitata poteſtas obtentui datur. O quam ſæpe inſuſurrant illud: *An neſcis Regem te eſſe, cui dare aliis, non accipere leges conveniat?* Promiſſorum pactorumque fidem hi facile tollent, qui *Regem decere minus,*

 Vaſal-

Vaſallum ſe pollicitorum facere perorabunt. Quid illi non deſignarent, quibus a miniſtris, *Quod libet, licet*, tanto niſu inculcatur?

XVI. Exemplorum omnis ævi, omniumque nationum hiſtoriæ tanta ſeges, quæ grande volumen expletura: Pauca nobis ſufficiant. Legatos, nihil delinquentes grave, imo ad confirmandum fœdus miſſos injuria afficere, ſacroſanctum eſt jus gentium violare, ac inter Tyrannica. Id tamen quo minus reformidaret facere in Davidis miſſos Rex Ammonitarum juvenis, incentores erant quos habebat occœcatos homines a conſiliis. Niſi adoleſcentioribus præ ſenum conſilio indulſiſſet, tam tyrannico reſponſo ſibi regnoque infeſto Iſraelitas mitiora precantes non dimiſiſſet Roboamus. Quid quæſo de Davide actum, niſi callida æque ac calida conſilia Achitophelis conturbaſſet Deus? Peſſimus aulæ Alexandrinæ conſultor erat Anaxarchus Philoſophus, qui *omnia imperantis facta, legitima, & juſta temere pronunciabat.* Tigranes Ponti Rex principio mitis ac placidus, deinde peſſimis amicorum aſſentationibus (quæ plus quam hoſtis ſæpe regias evertunt opes) illectus, non modo acerbus ac durus, ſed & inſolentisſimus reddebatur. Nam ex Rege magno major Tyrannus factus, odium fere omnium contraxit gentium, pœnasque dedit Ducibus Romanis injurias ulciſcentibus. Quam bene contra ceſſit Henrico IV. Angliæ Regi, quod regni gubernacula ſuſcipiens a ſeſe dimitteret, quos licentioris vitæ per ætatem juvenilem habuerat ſocios, malorumque in miniſtrorum locum ſufficeret viros virtute inſignes, ac ob id acceptos populo? Tetigi antea levisſimos quandoque homines à Regibus in oculis ferri, & potentiam adeptos pares eſſe ad concitandos Dominorum in Tyrannidem animos. Vitellium hic ſiſto, *qui magnam imperii partem non niſi conſilio, & arbitrio vilisſimi cujusque hiſtrionum & aurigarum adminiſtravit: & maxime Aſiatici liberti*; cujus probroſam vitam, fortunamque, poſt laudata commemorat Svetonius cap. II. Talem deprehendo Bagoam *ſpadonem, qui Alexandrum obſequio corporis devinxerat ſibi.* Huic *cum honorem nullum haberet Orſines Satrapa, ſpado*

po-

potentiam flagitio & dedecore quæſitam in caput nobilisſimi & inſontis exercuit. Quoties enim ſine arbitris erat Alexander, credulas Regis aures implebat; diſſimulans cauſam iræ, quo gravior criminantis auctoritas eſſet : ut hæc & plura graviter exponit non nitidus tantum, ſed & prudens ſcriptor Curtius lib. X. cap. I. Quem in Sejano fomitem Tyrannicorum ac adjutorem habuerit Tiberius, paſſim hiſtoria docet. Hoc certum: Quamvis Tiberio vulpinum eſſet ingenium, atque inſidiis minime pateret, diu tamen cæcutiſſe in perſpicienda ſibi, imperioque imminentis malitia, ac fraudibus: adeo quidem, ut, quemadmodum Tacitus ſcribit IV. Annal. *obſcurum adverſus alios Tiberium, ſibi uni incautum illi efficeret.* Scilicet *accendebat onerabatque* Sejanus *vel aliorum dicta, vel ipſius Principis deſtinata peritia morum Tiberii, odia in longum jaciens, quæ reconderet, auctaque promeret.* Tac. An. I. cap. LXIX. Nec melior Tigellinus apud Neronem, *qui indies validior & malas artes, quibus ſatis pollebat, gratiores ratus, ſi Principem ſocietate ſcelerum obſtringeret, metus ejus rimatur, compertoque Plautum in Aſiam, Sullam in Galliam Narbonenſem nuper amotos, nobilitatem eorum, & propinquos huic Orientis, illi Germaniæ exercitus commemorat.* Quis harum criminationum eventus? Miſerandus. Sulla *ſexto die pervectis Maſſiliam percuſſoribus, ante metum & rumorem interficitur, cum epulandi cauſa diſcumberet.* Plautum *centurio trucidavit, coram Pelagone ſpadone, quem Nero centurioni & manipulo quaſi ſatellitibus miniſtrum regium propoſuerat.* Lege rurſus Tacitum An: XIV. cap. LVII. & LIX. Commodum ſic corruptum nimis, magis infecere Perennis conſilia. Hic enim Domini *perſciens,* invenit, *quemadmodum ipſe potens eſſet.* Nam *perſvaſit Commodo, ut ipſe deliciis vacaret: idem vero Perennis curis incumberet, quod Commodus lætanter accepit* : uti narrat Ælius Lampridius: qui & poſt pauca inquit: *Tunc tamen Perennis cuncta ſibimet vindicavit: quos voluit interemit; ſpoliavit plurimos, omnia jura ſubvertit; prædam omnem in ſinum contulit.* Diceres pro Commodo Tyrannum egiſſe Perennem, niſi ſequeretur: *Ipſe autem Commodus Lucillam ſororem, cum eam compreſſiſſet, occidit.* Ac mox: *Occiſus eſt eo tempore etiam Claudius,*

quaſi a latronibus. Poſt interfectum Perennem *in potentia locum* Commodus *Cleandrum ex cubiculariis ſurrogavit. Hic tantum per ſtultitiam Commodi potuit, ut Byrrum ſororis Commodi virum, reprehendentem nuntiantemque Commodo quæ fiebant, in ſuſpicionem regni affectati traheret, & occideret, multis aliis qui Byrrum defendebant pariter interemptis*: ceu hæc & plura huc pertinentia recenſet Lampridius. Ejusdem commatis miniſter erat Conſtantio Imperatori Arbetio, *ad innectendas lethales inſidias vitæ ſimplici perquam callens, & ea tempeſtate nimium potens. Vt enim ſubterraneus ſerpens foramen ſubſidens occultum, adſultu ſubito ſingulos tranſitores obſervans inceſſit: ita ille addens etiam poteſtati lædendi malitiæ munus, nec læſus aliquando, nec laceſſitus, inexplebili quodam lædendi propoſito conſcientiam polluebat.* Quæ eſt narratio Ammiani, militis civilium non ignari ex Hiſtor. lib. XV. Apud eundem Conſtantium valuere Arbora & Euſebius, cubiculi tunc præpoſitus, *ambo inconſiderata jactantia, injuſti pariter & cruenti: qui nulla perſpicacitate, ſine innocentium ſontiumque differentia, alios verberibus vel tormentis afflictos exulari pœna damnarunt, quosdam ad infimam truſere militiam, reſiduos capitalibus addixere ſuppliciis. Impletisque funerum buſtis, reverſi velut ovantes geſta retulerunt ad principem, erga hæc & ſimilia palam obſtinatum & gravem*: ut eodem libro exponit Marcellinus. Atque hi omnes & innumeri alii omnibus ſeculis tyrannica inſtillavere utcunque bonis Principibus; nonnullos ad ſævitiam pronos acuerunt, confirmatos in malitiam roborarunt. Si digito monſtrare liceret & dicere, *Hic eſt*, uſurparem verba Senecæ Tragicii:

Colit hic Reges, Regumque Lares,
Non ut preſſo vomere ſemper
Nunquam ceſſet curvus arator:
Vel mille ſecent arva coloni.
Solas optat, quas donet opes
Colit hic Reges, calcet ut omnes,
Perdatque aliquos, nullumque levet:
Tantum ut noceat, cupit eſſe potens.

§. XVII. Sed & imperioſa Principis uxor non raro accendit

cendit maritum ad ſæva, & Tyrannum ſpirantia. Quid non tentabat Jezabel, ut Achabum maritum vineæ Nabothi inhiantem ſedaret? Nec contremuit peracta cæde innocentis, & per calumnias ſublati, ad virum quaſi re bene geſta: *Surge, poſſeſſionem vineæ Nabothi occupa*; *Non amplius vivit Naboth, ſed mortuus.* III. Reg. cap. XXI. Joramum Joſaphati filium in regio firmatum ſolio omnes fratres, nec non quosdam Principum Jsraelitarum de medio tuliſſe tradit ſacer Scriptor Paralipom: lib. II. cap. XXI. Nullus dubito, quin tam ferale facinus concitarit uxor Patri Achabo non abſimilis filia, quæ (ut habet phraſis ſcripturæ) *fecit malum in conſpectu Domini.* Quam potens Claudii mariti & rerum Agrippina, toties inculcat Cornelius Tacitus. Nec huic tantum, ſed & *ceteris uxoribus addictus non principem ſe, ſed miniſtrum egit. Compendio cujusque horum vel etiam ſtudio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, ſupplicia largitus eſt*, quemadmodum ejus mores depingit Svetonius cap. XXXVI. Fauſtinæ ſævitia elucet ex ſequentibus epiſtolæ ad Marcum verbis: *Vide quid agas de Avidio Caſſio & de ejus conſciis. Noli parcere hominibus, qui tibi non pepercerunt; & nec mihi, nec filiis noſtris parcerent, ſi viciſſent.* Si gemina mens marito, quis ſuppliciorum modus? At ſibi is non imperat modo, ſed aurea hæc reſcribit: *Relegi epiſtolam tuam in Formiano, qua me hortaris, ut in Avidii conſcios vindicem. Ego vero & ejus liberis parcam, & genero, & uxori, & ad Senatum ſcribam, ne aut proſcriptio gravior ſit, aut pœna crudelior. Non enim quidquam eſt, quod Imperatorem Rom. melius commendet gentibus, quam clementia. Hæc Cæſarem Deum fecit; hæc Auguſtum conſecravit; hæc Patrem tuum ſpecialiter nomine Pii ornavit. Denique ſi ex mea ſententia de bello judicatum eſſet, nec Avidius eſſet occiſus. Eſto igitur ſecura. Dii me tuentur, cui pietas mea cordi eſt.* O moderationem! O clementiam! Dignisſimus eras, *qui ab aliis modo frater, modo pater, modo filius, ut cujusque ætas ſinebat & diceceris, & amareris*; quod vere de te ſcribit Capitolinus.

§. XVIII. Quod juſta uxor non ſumit, id interdum ſibi arrogat Concubina, & illicitæ Veneri etiam furiales crudeli-

tatis

tatis faces addit. Ptolemæum Ægyptii Regem occiſa Eurydice uxore, *Agathocliæ meretricis illecebræ perdiderunt, quæ non contenta Rege, jam etiam regnum poſſidebat*: detegente poſt alios ſcelus Juſtino lib. XXX. cap. II. Quanta ſanguinis innocentis effuſione, quantis cædibus injuſtisſimis, quanta Regnorum ſeptentrionalium turbatione conſtiterit Chriſtierni II. Daniæ Regis cum Columbula Sigbrittæ Hollandicæ filia conſuetudo, præter alios rerum Danicarum ſcriptores Johannes Svaningius *vita Chriſtierni* exponit.

§. XIX. Plures ad Tyrannica magiſtros Regibus & eſſe poſſe, & fuiſſe, non ignoro, ſed nobis hæc pro tempore ſufficiant. Nunc ad Conſuetudinem, quæ in utramque partem tantum habet pondus. Quod ſi jam indoles ad crudelitatem, & alia Tyrannidis ex primævo lapſu maxime prona, & porro per magiſtros (quales quales jam fuerint) corrumpitur; accedente crebro facinorum exercitio, non poteſt non paulatim exſtincta mente regia exſurgere bellua truculentisſima, commune odium promerita. Non opus fore autumo rem luculentam probare exemplorum copia, ne faculam mero meridie videar accendere. Duo tamen præ ceteris exiſtimo peſſimam hanc in Tyrannis conſvetudinem excitare ac augere. Prius eſt Imperii cupido, alterum, ſi quæ affulget, felicitatis diuturnitas.

§. XX. Cupiditatem regnandi *cunctis affectibus flagrantiorem* tradit Tacitus An: XV. cap. XLIV. quemque ſemel profundius afflavit iſta peſtis, decus, pudorem, corpus, Parentes, uxorem, liberos, natos, amicos, quin Deum ipſum regno viliora habebit De Cæſare Tullius I. Offic. *Omnia jura divina atque humana pervertit, propter eum, quem ſibi præfinxerat principatum. De Pharaſmane Tacitus* Ann. XII. cap. XLVII. *Illi cupido Regni fratre & filia potior.* Polynices horrenda vox eſt in Seneca Tragico. *Pro regno velim patriam, penates, conjugem flammis dare.*

§. XXI. Nulla quidem perpetua & ſtabilis his in terris eſt felicitas; ſi, quæ tamen in regali faſtigio diuturnior, plerumque faſtui, majoriſque licentiæ uſurpationi anſam

dare

dare aſſolet. Neronem cogitemus, qui Agrippinam prius non aggreſſus, quam *vetuſtate imperii coalita*, ut eleganter loquitur Cornelius Annal. XIV. Succurrit quoque Vannius Svevis a Druſo Cæſare impoſitus. *Hic prima imperii ætate clarus, acceptusque popularibus: mox diuturnitate in ſuperbiam mutatus,* ſed & *circumventus*: teſte eodem Tacito Annal. XII.

CAPUT. V.

QUOMODO EX ARISTOCRATICO OLIGARCHICO ET DEMOCRATICO REGIMINE PRODEANT TYRANNI.

SUMMARIUM.

§. I.

PRopoſitio capitis. II. Ex Optimatibus abſolute talibus prodire nequeunt Tyranni. Neque vero Optimates ejusmodi reperiuntur. III. Ariſtocratiæ plures nomine magis, quam virtute commendabiles. In quibus aliqua virtutum conſideratio, iis non negandum Ariſtocraticum nomen. Oligarchica in Ariſtocratiis celanda. IV. Q. Quomodo ex Ariſtocratiis & Oligarchiis emergant Tyranni. V. Si imperantes publicæ ſaluti ſtuderent, exularet tyrannis. At dum privatum quæritur cum collegarum detrimento, tandem tyrannis obtinet. VI. Inæqualitas nimia mater mutationum in Rep. VII. Divites adſpirant ad tyrannidem. Seneca *ob id delatus ad Neronem ſibi timuit. VIII. Divitiarum magnitudo Romæ olim cenſoriis legibus circumſcripta. Mediocres divitias in imperantibus commendat Ariſtoteles. IX. Prærogativa generis inflammat animos ad capeſſendam tyrannidem. X. Illuſtre matrimonium fax tyrannidis: quod exemplis firmatur. XI. Grave periculum Reip. imminet, ſi bellica rei poteſtas uni committatur: quod tantopere cavent* Veneti *Romanis erratis edocti. Intima bellorum Romanorum panduntur. XII. Privati armorum inſolens ſtudium merito ſuſpectum. De conjuratione* Fliſcana *in Rep. Genuenſi, &* miniſtro Danico *quædam. XIII. Feli-*

vitas nimia pervertit belli Duces : quod Pauſanias, Lyſander, Alcibiades, Cæſar *declarant. XIV. Favor popularis ducit ad tyrannica. XV. Et debitorum moles : uti* Catilinam *XVI. Ariſtotelis Optima Reſp. eſt Democratica, quæ in Tyrannidem mutari non poteſt. Poſſunt aliæ Democratiæ. XVII. Et quo ſunt deteriores, eo ſunt tali mutationi obnoxiæ magis. XVIII. Tribus modis olim Democratiæ in Tyrannides verſæ juxta Ariſtotelem.*

§. I.

QVam facile Regnum declinet in Tyrannidem, proximo capite oſtendi. Nunc an, & quomodo ex Optimatum, & Oligarchorum, ut & populari regimine Tyrannis queat emergere, paucis declarabo.

§. II. Ex Optimatibus, & nomine, & reipſa optimis, ut prodeant Tyranni, per illorum naturam fieri nequaquam poteſt. Quod ſi enim Optimates ii demum fuerint, qui ſecundum virtutem perfectam non modo ipſi vivunt ſemper, ſed & ad virtutis præſcriptum omnia Reipubl. conformant; nondum videre mihi videor, quomodo virtutis adeo ſint poſituri complexum, ut ex contrario vitiorum habitu, & pro ſe & pro publico vivant peſſime. At quis dabit per univerſum orbem Optimatum ejusmodi collegium? imo quis unicum perfecta virtute imbutum, & in Reip. gratiam perfecte utentem produxerit? Quæ cum ita ſe habeant, Ariſtotelicæ hypotheſes de Ariſtocratia ſecundum ſolam virtutem ſpectata, in Rebuspublicis, prout poſt humani generis lapſum ſpectantur, ac ſpectari debent merito, egregiæ quidem conſiderationis, ſed rarioris, & fortean nullius erunt praxeos.

§. III. Neque tamen plane ſuſtulerim Ariſtocratica imperia: modo liceat generatim effari (ad ſpecies ire intutum, & damnoſum) pleraque talia nominis majori, quam virtutis ſplendore coruſcare. Scilicet honeſtum, gratioſum, ac magnificum eſt Optimatum nomen, quamvis plerumque non unice in illis laudari mereatur virtus, *ſed genus & proavi, & quæ non fecerint ipſi*, ac in humanis nimium pollens regina pecunia. Æquum tamen putaverim, ut

cum

cum illis Rebuspubl. communicetur nomen Ariſtocratias, quæ, modo ad virtutem, doctrinam, & prudentiam quadamtenus reſpiciatur, vel a regentium ſanguine, vel opibus, vel utroque, aut pluribus etiam prærogativis ſint commendabiles. Fit tamen neſcio quomodo, ut in his Ariſtocratiis multa obtineant oligarchica, nonnullæ etiam ad Oligarchias proxime accedant: quamvis e re ſit imperantium, ne id vel ſentiat vulgus; & ex quiete publica, ne ſentientes promiſcue propalent, eoque turbis, & motibus manus ſubminiſtrent.

§. IV. Sive jam ſpecies tales, quæ in hac rerum humanarum imbecillitate haberi poſſunt Ariſtocratias, ſive ipſas Oligarchias; nunc erit diſpiciendum, quomodo ex illis prodeant Tyranni, & tyrannica multa ſub alio titulo deſignantes.

§. V. Si publicæ ſalutis ſtudioſi legibus divinis, humanisque, inprimis ductui Spiritus S. parerent ſemper Imperantes, gravibus nullis motibus obnoxiæ forent Reſp. ne dum ut in Tyrannides converterentur. At dum unusquisque ſibi tendit, & vel malitia, vel majorum ſanguine, vel affinitatibus, vel opulentia, vel populi, vel militum gratia, aut his ſimul, aut aliquibus ſubnixus, alios omnes, ac inprimis collegas premit, infeſtat, ſupprimit; ſi illi in tempore non obſtant malis, ſenſim ac pedetentim dominatus pauciorum, deinceps unius, ac denique Tyrannis reſultaverit.

§. VI. Generatim autem affirmare audeo, inæqualitatem nimiam, ut alias Rerumpubl. in deterius mutationes, ita quoque Tyrannides & facta procurare tyrannica. Elegans inter politica principium: *Æqualibus debentur æqualia, ſecundum eundem æqualitatis reſpectum.* Jam ſi quis plus ſibi, quam collegis indulget, aut genere, divitiis, & potentia præ aliis aſſurgit, ſublata hoc modo æqualitate, quies ſervari Rebuspubl. non poteſt, ſed unum ex altero malum reſultat, in quibus occaſione ſic ferente, ad dominatum, ad tyrannidem venitur.

§. VII. Vt opulenti raro probi,ita,ſi ad clavum ſederint Reipubl. plerumque plus ſibi præ ceteris arrogare,graviſſimisque in cauſis (quidni præcipue in mutanda ad ſuum uſum, ſenſumque Republica?)improbitatem exercere, tam Ariſtoteles in Rhetoricis,Ethicis,& Politicis obſervavit, quam tot exempla antiqua pariter & recentia declarant.An Seneca ſummam rerum vel ſub Neronis nomine, vel eodem forte ſublato ſpectaverit, nondum liquido patet. *Variis tamen criminationibus eundem* adoriuntur adulatores Neronis, *tanquam ingentes & privatum modum evectas opes adhuc augeret,quodque ſtudia civium in ſe verteret,hortorum quoque amœnitate, & villarum magnificentia quaſi Principem ſupergrederetur*: apud Tacitum Annal. XIV.c.LII. Tantopere etiam his perculſus Seneca, ut inter cetera ſic ad Neronem: *Cum opes meas ultra ſuſtinere non queam, præſidium peto. Jube eas per procuratores tuos adminiſtrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipſe detrudam, ſed traditis quorum fulgore perſtringor, quod temporis hortorum, aut villarum curæ ſeponitur, in animum revocabo.*

§. VIII. Ne hæc divitiarum magnitudo Reipubl Romanæ foret detrimento,antiquitus videtur cenſoriis legibus circumſcripta. Val.Max.II.IX. *Quid de Fabricii Luſcinii cenſura loquar? Narravit omnis ætas & deinceps narrabit, ab eo Corn. Rufinum, duobus Conſulatibus & dictatura ſpecioſiſſime functum, quod decem pondo vaſa argentea comparaſſet, perinde ac malo exemplo luxurioſum, in ordine ſenatorio retentum non eſſe.* Tangit etiam Seneca de vita beata cap.XXI. Cæſarem, teſtis eſt Dio lib. XLI.edixiſſe, ne quis vel in argento, vel in auro poſſideret ultra LX. ſeſtertia: ut locupletes in manifeſto eſſent, nec ſe abſente motus aliqui exiſterent. Quam bene igitur Philoſophus, Polit IV.c. XI. *Magna felicitas accidiſſe civitati exiſtimanda eſt, ſi Reipubl. Principes mediocribus, & moderatis opibus contenti fuerint. Nam ubi alii magnas & amplas fortunas habent, alii nullas, aut extrema Democratia aut effrenata Oligarchia, aut Tyrannis ob utrasque exuperantias exiſtit. Etenim ex deterrima illa (quæ recentisſima eſt) Democratia, ſicut ex Oligarchia, Tyrannis oritur.*

§. IX. Sed

§. IX. Sed & ſangvinis prærogativa inflat animos. & ad tentanda majora, ipſamque tyrannidem quandoque viam ſternit. *Quæ generis claritas etiam inertes homines ad ſummos honores provexit* (quod eſt Aſconii dictum) eandem ad turbandam Rempubl. & ſibi potiora rapiendum incitat nimis generoſa pectora.

§. X. Præterea uti matrimonium *ad majora nitentibus decus & robur*, & Tacito & experientia teſtibus; ita fieri quandoque poteſt, ut in Optimatum; & Oligarchorum imperio adſpiret ad dominatum, cui criſtas erigit affinitas ſublimior. Cn. Piſonis, etſi ſub Tiberii dominatu, recordamur, *qui præter paternos ſpiritus, uxoris quoque Plancinæ nobilitate & opibus accendebatur. Vix Tiberio concedere, liberos ejus multum infra deſpectare.* Tacitus Ann. II. cap. XLIII. Mirifice hoc argumentum illuſtrabit reſcriptum Tiberii ad Sejanum, Liviæ Druſi viduæ matrimonium per codicillos ambientem: *Falleris Sejane, ſi te manſurum eodem ordine putas, & Liviam, quæ C. Cæſari, mox Druſo nupta fuerit, ea mente acturam, ut cum Equite Rom. ſeneſcat.* Idem ſi non ſcripſit, in animo non ita pridem habuit Rex Gallus adverſus Lauzunium Comitem conjunctionem Mompenſeriæ molientem: qui blandis verbis, & donariis illectus pro amatoriis vinculis compedes invenit. Huic malo (ſpiritibus puto & uxoris, & mariti, affiniumque) ut præcludatur janua, Zevecotii elegans obſervaſſe juvat monitum, Obſervat. Polit. ad Sveton. Cæſarem: *Omnis familiaritas*, inquit, *maxime per nuptias conciliata, quæ Primati cum inimicis publicis, aut iis, qui fundamenta ſtatus odere, intercedit; uti merito ſuſpecta eſt, ita in omni bene conſtituto Regno aut Republ. nunquam eſt ferenda. Frequentes enim optime de ſtatu aliquo meriti, male mereri aſſveſcunt, ab uxore aut affinibus ſeducti. Syphax Sophonisbæ Aſdrubalis filia nuptiis, & amore ſeductus, repente pro Carthaginenſibus adverſus Rom. arma vertit. Quo devicto Maſiniſſa eandem jam in uxorem aſſumptam prudenter a Scipione monitus non tantum ab hoſtibus armatis periculi, quantum a circumfuſis undique voluptatibus eſſe, veneno intercepit. Plures etiam hoc ſeculo, conjugum blanditiis expugnati minus hoſti nocuerunt,*

 quam

quam poterant, vel aperte transierunt in partes. Ideo multis in locis Reges & Principes conjugiorum, quæ inter proceres celebrantur, non ſine ſumma ratione ſunt arbitri, ut & ſuæ & Patriæ, quam defendendam ſuſceperunt, ſecuritati conſulant. Confer Arnoldum Clapmarium de Arcanis Rerumpubl. lib. IV. cap. IX.

§. XI. At gravius periculum non imminet Rebuspubl. quam ſi militarium illimitata poteſtas uni committatur. Tanquam ex tripode Philoſophus Polit. VII. c. IX. *Ὅπλων κύριοι καὶ μένειν καὶ μὴ μένειν κύριοι τὴν πολιτείαν. Armorum domini in poteſtate habeat, ut maneat, vel non maneat Reſpublica.* Probe hoc intelligit Reſp. Veneta, tantis ſtudiis cavens; ne cuiquam Senatorum facile ſumma committatur rei bellicæ. In plures ſpargitur illa poteſtas, ſi non cum tanta ſpe conficiendi belli, majori tamen tranquillitatis publicæ. Plerumque gravior annis deligitur Dux militaris, cujus ambitionem non amplius ſuccendat fervor juvenilis. Et quoties præ domeſticis placuere externi Duces. Ex quibus tamen aliqui cum tolerare nollent temperamentum Senatorum bellicorum, non diu poſt dimisſi. Romanorum errata ſapere docuerunt Venetos. Hi cum Tarquinio Regem, in Rege Tyrannos expulere; ſed in Conſulibus, in Dictatore, in Tribunis nonnunquam admiſere regiam potentiam, faſtum, deſtinata, conſilia, crudelitatem, tyrannica. Equidem non miror ex conſulari regimine Imperatorium prodiiſſe, ſed id miror, tam diu perſtitiſſe Conſularem potentiam, nec prius in ſummam involaſſe rerum, qui armorum erant domini. Quid non perficere potuiſſent Scipiones, ſi quas in externis debellandis ad Romam ſubjugandam adhibuiſſent vires? Sed amor Reipubl. eos continuit. Ita eſt. At idipſum quoq; miror, obraram cum ſumma fortuna, juris & honeſti concordiam. Quorſum vero ſpectaſſe putas continua Senatus bella? An ut jura darent populis injuſte viventibus? An ut injurias propulſarent a læſis? An ut vindicarent ſibi populoque Romano illatam ignominiam? Falleris, ſi ſemper hæc volviſſe credes. Commoda Senatus & Patriciorum erant, per bella juſtiori titulo exercentium

rapinas

rapinas,& tam externis, quam domeſticis populi opibus inhiantium. Ne plebs in pace ſentiret pacis commoda, ne tolleret animos, ne examinaret Patrum conſilia & decreta, perpetuis bellis erat fatiganda, exhaurienda. Interim in Mario tandem, in Sulla, in Pompejo, in Cæſare, in Triumviratu Antonii Lepidi & Auguſti intellexit Roma, quam ſit periculoſæ plenum opus aleæ, bellica unius aut paucorum diuturna poteſtas.

§. XII. Etiamſi vero aliquis in libera Republ. non habeat armorum ſummam, merito tamen imperantibus ſuſpecta eſſe debet, & rerum novarum futuræque tyrannidis non levis indicina, inſolens armorum ſtudium. Johannis Ludovici Fliſci in domum Andreæ Auriæ, ac Johannem ex fratre nepotem,& per hos in Rempubl. Genuenſem conjuratio non ignobilis eſt. Hæc etſi divino, ut reor, nutu in herba ſuppreſſa, Fliſco cum triremes occupare niteretur in mare dilapſo: neque huc tamen res erupiſſet, ſi Auriæ, Fliſci coemptionem triremium tempori inhibuiſſent. Veruntamen vel prudentiores decepiſſet Fliſcus. *Ad omne enim ſimulationis artificium animum verſans, domum Andreæ familiariter ac crebrius etiam, quam antea ventitando; parvulos Johannis natos amplexando; omni denique pietatis & obſequii ſimulatione ſenis canitiem eludebat, tantumque iis artibus perfecerat, ut Andreas monentibus, ut ſibi a Fliſco caveret, quem magnum aliquid rei animo agitare haut dubium eſſe; fidem non habet.* *Quin etiam cum res in ditione Placentina non ita occulte adminiſtrari potuiſſent, ut non emanarent, Ferdinandusque Gonzaga, per exploratores comperiſſet, Fliſci nomine delectum haberi, isque Mediolano per literas Andream monuiſſet, ut caveret; Fliſcum enim res novas Genuæ moliri, atque occulta conſilia ad illum opprimendum ſtruere, ſibi cognitum, exploratumque eſſe; palam dixit, non ſe poſſe adduci, ut credat, tanti ſceleris facinus, tanta ingenii morumque ſuavitate, tamque prope cœleſti aſpectu tegi.* Habet illa in conjurationis Fliſcanæ hiſtoria Vbertus Folieta, vir & latine ſcribendi facultate præſtans, & civilium conſiliorum haut ignarus. Qui Daniam noſtra memoria aliquoties turbavit miniſtri condi-

conditionem per matrimonii & munerum ſplendorem ſupergreſſ*us*, præter cetera invidiam & ſuſpiciones auxit nimia armorum cura, quæ non ſoli delectamento fore, fideles Regi opinabantur.

§. XIII. Longam ac ſtatam felicitatem Regum naturam ad tyrannidem flectere proximo obſervavi capite. Eadem felicitas eſt in Rebuspubl. parta armis quæ ad tyrannidem ducat Duces. *Mens victoriis adſveta cautionis neſcia eſt*: eleganter ſcripſit Ennodius lib. II. Epiſt. XIX. Pauſaniam vide Lacedæmonium, qui *victoria Perſica elatus, plurima miſcere cœpit, & majora concupiſcere*: qui a depulſis Cypro ac Helleſponto barbarorum præſidiis, *elatius ſe gerere cœpit, majoresque appetere res*: apud Nepotem. Sed aliam in Pauſania rationem affert Ariſtoteles, cum mutationi Rerumpubl. anſam dare monet, ſi quis ex majori, ad minorem potentiam ſe metuat detrudi. Polit. V. c. VII. inquit: *Atque etiam mutationes ejusmodi accidunt, ſi quis jam magnam potentiam adeptus ſit, metuaturque, ne minorem poſſit adipiſci, ut tandem Monarchiam occupet, qualis Pauſania videtur fuiſſe, qui Medico bello Dux Laconici exercitus fuit, & Carthagine Hanno.* Lyſander haut obſcure tyrannidem molitus Lacedæmone. Nam *victoria* ab Athenienſibus *elatus, cum antea ſemper factioſus audaxque fuiſſet, ſic ſibi indulſit, ut ejus opera in maximum odium Græcia Lacedæmonii pervenerint.* Corn. Nepos in Lyſandro. Et poſt cædem mens apertius erupit: ſiquidem *oratio in domo ejus reperta, in qua ſvadet Lacedæmoniis, ut regia poteſtate diſſoluta, ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum.* Idem de Alcibiade: *Timebatur non minus, quam diligebatur, ne ſecunda fortuna, magnisque elatus opibus tyrannidem concupiſceret.* Sic de Cæſare Svetonius cap. XXX. *Quidam putant captum imperii conſuetudine, penſitatisque ſuis & inimicorum viribus, uſum occaſione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupiſſet.*

§. XIV. Favor quoque populi multos docuit prenſare inſolentia, & per blanda teſtudineis, mox auctis viribus, ad tyrannica graſſari greſſibus grallatoriis. Miltiadem Tyrannum jam tum ſupra vidimus, ſed juſtum. At vero quod Tyran-

Tyrannidem illam *non vi conſecutus, ſed ſuorum voluntate, eamque poteſtatem bonitate retinuerit,* in cauſa erat, *cum ſumma humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis eſſet, cui ad eum non pateret aditus*: quod extrema Corn. Nepotis in Miltiade docent. Quid cauſæ erat, quod Athenis timebatur Alcibiades? Reſpondebit Nepos: *Multos liberalitate devinxerat, plures etiam opera forenſi ſuos reddiderat. Quare fiebat, ut omnium oculos quotiescunque in publicum prodiiſſet, ad ſe converteret, neque ei par quisquam in civitate poneretur.*

§. XV. Etiam debitorum moles quosdam ad affectandam compulit Tyrannidem. L. Catilinæ ſupra mentem *vaſtam, immoderatam, incredibilia, nimis alta ſemper cupientem*, accendebat *æs alienum; quod per omnes terras ingens erat*: firmante Saluſtio: qui & *ferocem animum magis magisque inopia rei familiaris agitatum*, aſſerit. Jam de cupidine Tyrannidis res tam certa, ut idem diſerte ſcribat: *Hunc poſt dominationem L. Syllæ libido maxime invaſerat Reipubl. capiundæ: neque id quibus modis aſſequeretur, dum ſibi regnum pararet, quicquam penſi habebat.*

§. XVI. Tantum eſto de modis, quibus in Ariſtocratico vel Oligarchico regimine ad Tyrannidem nonnulli contenderunt. Pauca nunc addemus de Imperio Populari. Si Ariſtotelis veſtigiis inſiſtimus, fieri aliter non poteſt, quin optima Reſpublica ſit Democratica. Quia enim is non niſi viros ſumme bonos pro civibus admittit in Republ. optima; cives autem ii demum ſunt, qui ſunt capaces regiminis, neceſſum eſt ex illis conflari imperium democraticum. Ceterum ex tali Democratia uti aliæ corruptæ ſpecies prodire nequeunt, ita minime omnium Tyrannis, utpote longisſimo intervallo a tali Rep. ſejuncta. Interim quando ejusmodi Reſpubl. uti nunc comparatum eſt genus humanum, non datur; quæritur, quomodo in talibus, quæ habentur, Democratiis exſurgant Tyrannides.

§. XVII. Quo melior eſt ſtatus Democraticus, & quo plures civium virtuti, & ſaluti publicæ ſtudent, eo minor erit a Tyrannide formido, ceu jamtum §. XIV. cap. III. monui.

At quo magis Democratia vergit in deterius, ac utilitati ſtudetur privatæ, eo facilius quoque degenerabit tandem in Tyrannidem.

§. XVIII. Ariſtoteles Polit. lib. V. cap. V. tres potiſſimum cauſas exponit, cur olim in Tyrannidem Democratiæ mutarentur, quarum prima, quod belli Duces plurimum gratia valuerint apud populum; ſecunda, quod iisdem ſummi magiſtratus crederentur; tertia, quod in pravis civitatibus populo rei agreſti foris dedito Ducibus belli major fuerit licentia invadendi Rempublicam deſertam. Poſſemus hæc ipſa larius deducendo, inprimis de Demagogorum in mutandis Democratiis poteſtate agere. Verum quia jam ultra expectationem crevit diſſertatio, præſenti capiti finem imponentes ſequenti de conſervanda Tyrannide, Philoſopho duce, loquemur.

CAPUT VI.

DE MODIS CONSERVANDI TYRANNIDEM.

SUMMARIUM.

§. I.

T*Yrannidis conſervandæ modos oſtendimus, non præcipimus. II. Modi duorum generum:* Violenti & Sophiſtici. *Prioris generis multa docuit* Periander Corinthius, *& ſumi poſſunt ex inſtitutis Regum* Perſarum. *III. Violentorum I.* Claros ac gratioſos viros tollere: *quod* Thraſibulo, Periander, Tarquinius Superbus, filio *ſuaſerunt, feceruntque* Cæſar, Auguſtus, Tiberius, Nero, Vitellius, Domitianus, Cæſar Borgia, Philippus II. *IV. Violent. II.* Conventus ſubditorum prohibere, & Scholas abolere. *Romani quomodo devictam* Capuam *tractarint.* Cæſar *collegia nova detraxit.* Hispani Belgis *interdixere publicis conventibus.* Parlamentorum Anglicanorum *ſolutio.* Trajanus *collegia fabrorum* Nicomediæ *conſtitui noluit.* Domitianus *Profeſſores*

ac bonas artes expulit. Julianus *literas docere ac diſcere vetuit Chriſtianos.* Eduardus I. *devicta Scotia libros concremavit, doctos relegavit.* Turci *ac* Moſci *non attingunt artes liberales. V. Violent. III.* Pergrinationes non permittere ſubditis: *exemplo* Cæſaris Auguſti, Tiberii, Moſcovitici Ducis. *VI. Violent. IV.* Delatores fovere: *ut* Tiberius, Otho, Hadrianus. *Mulierum opera quinam hac in re uſi.* Inquiſitio Hiſpanica. *VII. Violent. V.* Diſſidia alere inter ſubditos: *quod fecit* Caligula *inter equites & plebem.* Julianus *libertatem religionis permiſit.* Hiſpani *ſimultates fovent in regno* Neapolitano. Forſtneri *&* Zevecotii *hanc in rem dicta. VIII. Violent. VI.* Depauperare ſubjectos. *Quod* Claudio *ſuaſit* Soſibius, *quem merito inceſſit* Forſtnerus. *IX. Viol. VII.* Continuis bellis diſtinere populum: *uti* Dionyſius Siculus *&* Coſimus Medices. *X. Violent. VIII.* Diffidere amicis: *perinde ac* Dionyſius Dioni. *Perpetuus Tyrannorum metus crudelitatis in conjunctiſſimos fomes. XI. Violent. IX* Omnem licentiam indulgere; *uxoribus etiam in viros, ſervis in Dominos.* Clearchus *matresfamilias earumque natas ſervis nubere voluit. XII. Violent. X.* Viris gravibus & libertatis amantibus non delectari. *XIII. Violent. XI.* Peregrinos promovere: *quod per devictas regiones* Hiſpanis *in more. Tyrannus externos legit ſatellites.* Auguſtus, Tiberius, Nero *Germanorum cuſtodia uſi. XIV. Concluſio tractationis de modis violentis, quos excipiunt* Sophiſtici. *XV. Soph. I.* Curam ærarii præ ſe ferre, ac profuſiones cavere. Commodus *ſumtum itinerarium in convivia & aleam convertit.* Demetrius Poliorcetes *tributa ſcortis diſtribuit. XVI. Item* Rationes recepti & expenſi reddere: *quod & bono Principi ſuadet* Plinius. *XVII. Ut &* Summam neceſſitatem tributis prætexere. Forſtnerus *artes leniendæ tributorum invidiæ detegit. XVIII. Soph. II.* Humanitati gravitate temperatæ ſtudere, & in admiſſionibus ſe facilem præbere: *quod in* Ptolemæo *laudatum: in* Hieronymo *&* Pauſania *notatum. XIX. Soph. III.* Per ſe ſuosque ab injuriis ſubditorum abſtinere. Philippus Macedo *obtruncatus, quod* Pauſaniæ *ſtuprum transmiſerit.* Claudio *imputabantur* Meſſalinæ *libertorumque licentia. XX. Soph. IV.* Voluptates corporis moderari. *Catalogus tyrannorum, quos luxus evertit, ex* Bodino.

Quibus præceptis Coſmus Medices *dimiſerit* Johannem Bentivolum. XXI. *Soph.V.* Vrbem ſplendidis ædificiis exornare. XXII. *Soph. VI.* Pietatem & religionem ſimulare. *Idem conſilium* Machiavelli, *cujus ἀθεότης perſtringitur. Obſervarunt hoc ſophisma* Ferdinandus Arragonius, Pipinus, Muhamedes. XXIII. *Soph. VII.* Præmiis benemeritos per ſe, pœnis per magiſtratus afficere delinquentes. Forſtneri *geminum monitum.* Tiberius *ſuppliciorum invidiam in alios derivavit.* Domitianus *in ſumma crudelitate clemens videri voluit.* XXIV. *Soph. VIII.* Non permittere, ne quis unus excellat, ſed ejus cupiditates per collegam coercere; *inprimis vero* cavere ingenia præferocia. *An ſenſim magni Miniſtri potentia minuenda, an uno impetu præcidenda.* Titus, Cæcinam, Henricus III. Gviſios *fratres improviſo ſuſtulerunt.* XXV. *Soph. XI.* Vt ab omnibus contumeliis, ita præcipue averberatione ingenuorum abſtinere. Hermolaus *puer nobilis verberibus affectus*, Alexandro M. Sejanus *ob id* Druſo *infenſi.* Cato *accepto colapho negavit ſibi factam injuriam. Quid alias circa pœnas obſervandum. Animi magnanimorum ſemel offenſi plerumque implacabiles.* XXVI. *Soph. X.* Homines vim Tyrannis inferre paratos vitæque prodigos cavere. *Pœnas ab anteceſſorum interfectoribus ſumſere* Auguſtus, Claudius, Vitellius, Caracalla. *Idem* Alexandro *commendat* Darius. XXVII. *Soph. XI* Benevolentiam divitum & pauperum ſibi conciliare, ſed magis adhærere potentioribus. *Servos manumittere, Arma adimere, inter violenta Tyrannorum.* XXVIII. *Concluſio ex Ariſtotelicis expreſſa.*

§. I.

TYrannidis conſervandæ modos tradituri non quid fieri debeat, ſed quid apud Tyrannos recepti moris, inculcabimus. Melius quidem cum genere humano ageretur, ſi venena eſſent nulla: at quia & horum ferax tellus, eorum pernoviſſe naturam, ſuo non caret fructu.

§. II. Duos Ariſtoteles Polit. lib. V. cap. XI. Tyrannidis ſervandæ tradit modos, prorſus inter ſe contrarios: quorum alter violentia nititur & acerbisſima crudelitate; alter

ter mediis mitioribus & magis ſophiſticis. Scilicet ſunt artes aliæ, quibus palam crudeliter graſſantur Tyranni; aliæ, quibus clanculum callidius firmant licentiam. Prioris generis multa a Periandro Corinthio conſtituta tradit Philoſophus; quem *primum ad tyrannidem tranſtuliſſe magiſtratum*, auctor eſt Diogenes Laertius. Multa quoque ab Imperio Perſarum in hoc genere ſumenda, idem confirmat Ariſtoteles. Regnum enim Perſicum per omnes veterum hiſtorias nimii rigoris ſævitiæque nomine audivit male.

§ III. Ex violentis primum: Viros virtute ac magnitudine animi eminentes, ac in vulgus gratioſos tollere. Vt Periandrum agnoſcas, ecce id conſilii dedit Thraſibulo. *Ajunt enim Periandrum* (ſic eſt in Ariſtotelis Polit. lib. III. cap. IX.) *caduceatori ad ſe miſſo de conſilio quod rogabatur, nihil reſpondiſſe, ſed amputatis eminentibus in agro quodam ſpicis ſegetem æquaviſſe: unde tametſi facti cauſam ignoraret, cum tamen eventum rei caduceator renunciaſſet, Thraſibulus intellexit primarios & præſtantes viros ſibi tollendos eſſe.* Idem filium docuit Tarquinius Superbus: *cui Gabiis recepto, atque per nuncios conſulenti quid fieri vellet, eminentia forte papaverum capita virgula excutiens, cum per hoc interficiendos eſſe Principes intelligi vellet, ſic reſpondit* apud Florum lib. I. cap. VII. Cæſar, qui ad libertatem invadendam omnia ſua ſtudia dirigebat, viros quos auctoritas & prudentia commendabat, Reip. conatus fuit eripere. Ideo cum judex quæſtionis eſſet, tentavit C. Rabirium, virum de Rep. optime meritum opprimere. Sed cum *tam cupide condemnaret, reo ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuit:* ut Svetonius ait cap. XII. Hujus veſtigia legit forte Auguſtus. Cum enim Coss. Romani *Hirtius in acie, Panſa paulo poſt ex vulnere periiſſent, rumor increbuit, ambos opera ejus occiſos: ut Antonio fugato, Rep. Conſulibus orbata, ſolus victores exercitus occuparet.* Videatur Svetonii Auguſtus cap. XI. Tiberius cum *ex optimis periculum ſibi* (Tacitus Ann. I. LXXX.) metueret, pleroſque ſuſtulit. *Primum facinus novi principatus fuit Poſtumi Agrippæ cædes.* Tacit. Ann. I. VI. *Eidem nulla vetus in* Arruntium *ira; ſed divitem, promtum, artibus egregiis, & pari*

 fama

cere Rhetoricos Magiſtros & Grammaticos, ritus Chriſtiani cultores. De Eduardo I. Angliæ Rege ſcribit Hector Boethius lib. XIV. Hiſtor. cum Scotia ſubacta omnia aboleviſſe erudita, libros concremaſſe, doctos relegaſſe: quo de & apud Buchananum nonnulla legas Hiſtor. Scoticæ lib. VIII. Turcæ quoque nullum liberalium artium admittunt cultum. Moſcorum item Principes nullas ſcholas, niſi in quibus ſcribere & legere diſcunt, permittunt, ne quis Domino plus ſapiat.

§ V. Succedit tertium inſtitutum: Subditis interdicere peregrinandi ſtudium, quo ſemper in propatulo verſentur, & veluti in ipſis foribus Tyranno ad parendum præſto ſint. Hanc enim mentem eſſe Ariſtoteli, poſt alios interpretes demonſtrat Piccartus: neque Philoſophum videntur aſſecuti, qui hæc ad ſpeculatores & miniſtros tyrannidis retulerunt. De Cæſare Svetonius c. XLII. *Sanxit, ne quis civis major annis* XX. *minorve* XL. *qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet; nec quis Senatoris filius, niſi contubernalis, aut comes magiſtratus peregere proficiſceretur.* De Auguſto Dion l. LIII. *Edixit omnibus Senatoribus ne quis eorum peregrinaretur extra Italiam, injuſſu ſuo.* Idem *inter alia dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus aut equitibus Romanis illuſtribus, ſepoſuit Ægyptum: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam clauſtraque terræ ac maris, quamvis levi præſidio adverſum ingentes exercitus inſediſſet.* Vnde Tiberius *acerrime increpuit* Germanicum, *quod contra inſtituta Auguſti. non ſponte Principis, Alexandriam introiiſſet.* Tacitus Ann. II. LIX. In Moſcovia ſub capitis periculo interdictum, ne ſubditi inſcio Magno Duce fines Imperii egrediantur: quamquam rumor ſit, rigorem illum non parum jam deferbuiſſe.

§. VI. Porro Tyranni intereſt, *exquirere, quid quisque ſubditorum & ſentiat & faciat, & ad eam rem exploratores & ſpeculatores (* κατασκοπὰς *) adhibere, quales Syracuſis erant mulieres* ποταγωγίδες *dictæ. Hieron quoque otacuſtas emittebat, qui auſcultarent & exciperent, ſicubi cœtus aliquis & conventus eſſet. Cives enim cum tales inſidias metuunt, minus audent, & ſi quid audeant, non facile celatur.* Sunt hæc ex Ariſtotele latine ver-

ſa

ſa Delatorum operam ſtabiliendæ Tyrannidi commendantia. Prope nihil eſt in hiſtoria Taciti frequentius exemplis delationum, indeque ſecutarum damnationum. Tiberio imperitante *delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum, per præmia eliciebantur*: Annal. IV. XXX. Idem poſtquam eodem libro fuſe expoſuit, Romæ illuſtrem equitem Titium Sabinum a quatuor Senatoribus Conſulatum ſcelere ambientibus deteſtanda fraude proditum atque delatum, tandem ſubjicit cap. LXIX. *Non alias magis anxia & pavens civitas, etiam adverſum proximos, congreſſus colloquia, notæ ignotæque aures vitari; etiam muta atque inanima, tectum & parietes circumſpectabantur*. Cui ſimilis eſt locus Hiſtor. I LXXXV. de Othonianis militibus delatorias artes exercentibus. *Non quies urbi redierat. Strepitus telorum, & facies belli erat: militibus, ut nihil in commune turbantibus, ita ſparſis per domos, occulto habitu, & maligna cura in omnes, quos nobilitas aut opes, aut aliqua inſignis claritudo rumoribus objecerat. Vitellianos quoque milites veniſſe in urbem ad ſtudia partium noſcenda, plerique credebant. Vnde plena omnia ſuſpicionum, & vix ſecreta domuum ſine formidine, ſed plurimum trepidationis in publico.* Hadriani quoque ingenio inter virtutes ac vitia vario placebant exploratores ejusmodi ac delatores. *Et erat curioſus* (verba ſunt Spartiani) *non ſolum domus ſuæ, ſed etiam amicorum; ita ut per frumentarios occulta omnia exploraret: nec adverterent amici, ſciri ab Imperatore ſuam vitam, priusquam ipſe hoc Imperator oſtenderet.* Sequiorem ſexum non raro tam infami miniſterio adhibitum, ex monumentis hiſtoricis docemur. *Catilina* mulieres ſubornavit, cum quibus ſtupri commercium habuit, ut conſilia virorum ſibi proderent. De *Auguſto* Svetonius cap. LXIX. *Adulteria quidem exercuiſſe, ne amici quidem negant: excuſantes ſane, non libidine, ſed ratione commiſſa, quo facilius conſilia adverſariorum per cujusque mulieres exquireret.* Et Druſi *quoque ſecreta, corrupta uxore, prodebantur*: ut eſt IV. Annal. Taciti cap. VII. His artibus ſimilis Hiſpanica Inquiſitio, quæ quamvis propter religionem ſolum inventa, ſæpe tamen aliorſum quoque ſpectaſſe proditum.

H §. VII.

citas nimia pervertit belli Duces : quod Pauſanias, Lyſander, Alcibiades, Cæſar *declarant. XIV. Favor popularis ducit ad tyrannica. XV. Et debitorum moles : uti* Catilinam. *XVI. Ariſtotelis Optima Reſp. eſt Democratica, quæ in Tyrannidem mutari non poteſt. Poſſunt aliæ Democratiæ. XVII. Et quo ſunt deteriores, eo ſunt tali mutationi obnoxiæ magis. XVIII. Tribus modis olim Democratiæ in Tyrannides verſæ juxta Ariſtotelem.*

§. I.

QVam facile Regnum declinet in Tyrannidem, proximo capite oſtendi. Nunc an, & quomodo ex Optimatum, & Oligarchorum, ut & populari regimine Tyrannis queat emergere, paucis declarabo.

§. II. Ex Optimatibus, & nomine, & reipſa optimis, ut prodeant Tyranni, per illorum naturam fieri nequaquam poteſt. Quod ſi enim Optimates ii demum fuerint, qui ſecundum virtutem perfectam non modo ipſi vivunt ſemper, ſed & ad virtutis præſcriptum omnia Reipubl. conformant; nondum videre mihi videor, quomodo virtutis adeo ſint poſituri complexum, ut ex contrario vitiorum habitu, & pro ſe & pro publico vivant peſſime. At quis dabit per univerſum orbem Optimatum ejusmodi collegium? imo quis unicum perfecta virtute imbutum, & in Reip. gratiam perfecte utentem produxerit? Quæ cum ita ſe habeant, Ariſtotelicæ hypotheſes de Ariſtocratia ſecundum ſolam virtutem ſpectata, in Rebuspublicis, prout poſt humani generis lapſum ſpectantur, ac ſpectari debent merito, egregiæ quidem conſiderationis, ſed rarioris, & fortean nullius erunt praxeos.

§. III. Neque tamen plane ſuſtulerim Ariſtocratica imperia : modo liceat generatim effari (ad ſpecies ire intutum, & damnoſum) pleraque talia nominis majori, quam virtutis ſplendore coruſcare. Scilicet honeſtum, gratioſum, ac magnificum eſt Optimatum nomen, quamvis plerumque non unice in illis laudari mereatur virtus, *ſed genus & proavi, & quæ non fecerint ipſi*, ac in humanis nimium pollens regina pecunia. Æquum tamen putaverim, ut

cum

cum illis Rebuspubl. communicetur nomen Ariſtocratias, quæ, modo ad virtutem, doctrinam, & prudentiam quadamtenus reſpiciatur, vel a regentium ſanguine, vel opibus, vel utroque, aut pluribus etiam prærogativis ſint commendabiles. Fit tamen neſcio quomodo, ut in his Ariſtocratiis multa obtineant oligarchica, nonnullæ etiam ad Oligarchias proxime accedant: quamvis e re ſit imperantium, ne id vel ſentiat vulgus; & ex quiete publica, ne ſentientes promiſcue propalent, eoque turbis, & motibus manus ſubminiſtrent.

§. IV. Sive jam ſpectes tales, quæ in hac rerum humanarum imbecillitate haberi poſſunt Ariſtocratias, ſive ipſas Oligarchias; nunc erit diſpiciendum, quomodo ex illis prodeant Tyranni, & tyrannica multa ſub alio titulo deſignantes.

§. V. Si publicæ ſalutis ſtudioſi legibus divinis, humaniſque, inprimis ductui Spiritus S. parerent ſemper Imperantes, gravibus nullis motibus obnoxiæ forent Reſp. ne dum ut in Tyrannides converterentur. At dum unusquisque ſibi tendit, & vel malitia, vel majorum ſanguine, vel affinitatibus, vel opulentia, vel populi, vel militum gratia, aut his ſimul, aut aliquibus ſubnixus, alios omnes, ac inprimis collegas premit, infeſtat, ſupprimit; ſi illi in tempore non obſtant malis, ſenſim ac pedetentim dominatus pauciorum, deinceps unius, ac denique Tyrannis reſultaverit.

§. VI. Generatim autem affirmare audeo, inæqualitatem nimiam, ut alias Rerumpubl. in deterius mutationes, ita quoque Tyrannides & facta procurare tyrannica. Elegans inter politica principium: *Æqualibus debentur æqualia, ſecundum eundem æqualitatis reſpectum.* Jam ſi quis plus ſibi, quam collegis indulget, aut genere, divitiis, & potentia præ aliis aſſurgit, ſublata hoc modo æqualitate, quies ſervari Rebuspubl. non poteſt, ſed unum ex altero malum reſultat, in quibus occaſione ſic ferente, ad dominatum, ad tyrannidem venitur.

 §. VII.

§. VII. Vt opulenti raro probi, ita, ſi ad clavum ſederint Reipubl. plerumque plus ſibi præ ceteris arrogare, graviſſimisque in cauſis (quidni præcipue in mutanda ad ſuum uſum, ſenſumque Republica?) improbitatem exercere, tam Ariſtoteles in Rhetoricis, Ethicis, & Politicis obſervavit, quam tot exempla antiqua pariter & recentia declarant. An Seneca ſummam rerum vel ſub Neronis nomine, vel eodem forte ſublato ſpectaverit, nondum liquido patet. *Variis tamen criminationibus eundem* adoriuntur adulatores Neronis, *tanquam ingentes & privatum modum evectas opes adhuc augeret, quodque ſtudia civium in ſe verteret, hortorum quoque amœnitate, & villarum magnificentia quaſi Principem ſupergrederetur*: apud Tacitum Annal. XIV. c. LII. Tantopere etiam his perculſus Seneca, ut inter cetera ſic ad Neronem: *Cum opes meas ultra ſuſtinere non queam, præſidium peto. Jube eas per procuratores tuos adminiſtrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipſe detrudam, ſed traditis quorum fulgore perſtringor, quod temporis hortorum, aut villarum curæ ſeponitur, in animum revocabo.*

§. VIII. Ne hæc divitiarum magnitudo Reipubl. Romanæ foret detrimento, antiquitus videtur cenſoriis legibus circumſcripta. Val. Max. II. IX. *Quid de Fabricii Luſcinii cenſura loquar? Narravit omnis ætas & deinceps narrabit, ab eo Corn. Rufinum, duobus Conſulatibus & dictatura ſpecioſiſſime functum, quod decem pondo vaſa argentea comparaſſet, perinde ac malo exemplo luxurioſum, in ordine ſenatorio retentum non eſſe.* Tangit etiam Seneca de vita beata cap. XXI. Cæſarem, teſtis eſt Dio lib. XLI. edixiſſe, ne quis vel in argento, vel in auro poſſideret ultra LX. ſeſtertia: ut locupletes in manifeſto eſſent, nec ſe abſente motus aliqui exiſterent. Quam bene igitur Philoſophus, Polit IV. c. XI. *Magna felicitas accidiſſe civitati exiſtimanda eſt, ſi Reipubl. Principes mediocribus, & moderatis opibus contenti fuerint. Nam ubi alii magnas & amplas fortunas habent, alii nullas, aut extrema Democratia aut effrenata Oligarchia, aut Tyrannis ob utrasque exuperantias exiſtit. Etenim ex deterrima illa (quæ recentiſſima eſt) Democratia, ſicut ex Oligarchia, Tyrannis oritur.*

§. IX. Sed

§. IX. Sed & ſangvinis prærogativa inflat animos. & ad tentanda majora, ipſamque tyrannidem quandoque viam ſternit. *Quæ generis claritas etiam inertes homines ad ſummos honores provexit* (quod eſt Aſconii dictum) eandem ad turbandam Rempubl. & ſibi potiora rapiendum incitat nimis generoſa pectora.

§. X. Præterea uti matrimonium *ad majora nitentibus decus & robur*, & Tacito & experientia teſtibus; ita fieri quandoque poteſt, ut in Optimatum; & Oligarchorum imperio adſpiret ad dominatum, cui criſtas erigit affinitas ſublimior. Cn. Piſonis, etſi ſub Tiberii dominatu, recordamur, *qui præter paternos ſpiritus, uxoris quoque Plancinæ nobilitate & opibus accendebatur. Vix Tiberio concedere, liberos ejus multum infra deſpectare.* Tacitus Ann. II. cap. XLIII. Mirifice hoc argumentum illuſtrabit reſcriptum Tiberii ad Sejanum, Liviæ Druſi viduæ matrimonium per codicillos ambientem: *Falleris Sejane, ſi te manſurum eodem ordine putas, & Liviam, quæ C. Cæſari, mox Druſo nupta fuerit, ea mente acturam, ut cum Equite Rom. ſeneſcat.* Idem ſi non ſcripſit, in animo non ita pridem habuit Rex Gallus adverſus Lauzunium Comitem conjunctionem Mompenſeriæ molientem: qui blandis verbis, & donariis illectus pro amatoriis vinculis compedes invenit. Huic malo (ſpiritibus puto & uxoris, & mariti, affiniumque) ut præcludatur janua, Zevecotii elegans obſervaſſe juvat monitum, Obſervat. Polit. ad Sveton. Cæſarem: *Omnis familiaritas*, inquit, *maxime per nuptias conciliata, quæ Primati cum inimicis publicis, aut iis, qui fundamenta ſtatus odere, intercedit; uti merito ſuſpecta eſt, ita in omni bene conſtituto Regno aut Republ. nunquam eſt ferenda. Frequentes enim optime de ſtatu aliquo meriti, male mereri aſſveſcunt, ab uxore aut affinibus ſeducti. Syphax Sophonisbæ Asdrubalis filia nuptiis, & amore ſeductus, repente pro Carthaginenſibus adverſus Rom. arma vertit. Quo devicto Maſiniſſa eandem jam in uxorem aſſumptam prudenter a Scipione monitus non tantum ab hoſtibus armatis periculi, quantum a circumfuſis undique voluptatibus eſſe, veneno intercepit. Plures etiam hoc ſeculo, conjugum blanditiis expugnati minus hoſti nocuerunt,*

 quam

quam poterant, vel aperte transierunt in partes. Ideo multis in locis Reges & Principes conjugiorum, quæ inter proceres celebrantur, non ſine ſumma ratione ſunt arbitri, ut & ſuæ & Patriæ, quam defendendam ſuſceperunt, ſecuritati conſulant. Confer Arnoldum Clapmarium de Arcanis Rerumpubl. lib. IV. cap. IX.

§. XI. At gravius periculum non imminet Rebuspubl. quam ſi militarium illimitata poteſtas uni committatur. Tanquam ex tripode Philoſophus Polit. VII. c. IX. *Οπλῶν κύριοι καὶ μένειν καὶ μὴ μένειν κύριοι τὴν πολιτείαν. Armorum domini in poteſtate habeat, ut maneat, vel non maneat Reſpublica.* Probe hoc intelligit Reſp. Veneta, tantis ſtudiis cavens, ne cuiquam Senatorum facile ſumma committatur rei bellicæ. In plures ſpargitur illa poteſtas, ſi non cum tanta ſpe conficiendi belli, majori tamen tranquillitatis publicæ. Plerumque gravior annis deligitur Dux militaris, cujus ambitionem non amplius ſuccendat fervor juvenilis. Et quoties præ domeſticis placuere externi Duces. Ex quibus tamen aliqui cum tolerare nollent temperamentum Senatorum bellicorum, non diu poſt dimisſi. Romanorum errata ſapere docuerunt Venetos. Hi cum Tarquinio Regem, in Rege Tyrannos expulere; ſed in Conſulibus, in Dictatore, in Tribunis nonnunquam admiſere regiam potentiam, faſtum, deſtinata, conſilia, crudelitatem, tyrannica. Equidem non miror ex conſulari regimine Imperatorium prodiiſſe, ſed id miror, tam diu perſtitiſſe Conſularem potentiam, nec prius in ſummam involaſſe rerum, qui armorum erant domini. Quid non perficere potuiſſent Scipiones, ſi quas in externis debellandis ad Romam ſubjugandam adhibuiſſent vires? Sed amor Reipubl. eos continuit. Ita eſt. At idipſum quoq; miror, obraram cum ſumma fortuna, juris & honeſti concordiam. Quorſum vero ſpectaſſe putas continua Senatus bella? An ut jura darent populis injuſte viventibus? An ut injurias propulſarent a læſis? An ut vindicarent ſibi populoque Romano illatam ignominiam? Falleris, ſi ſemper hæc voluiſſe credes. Commoda Senatus & Patriciorum erant, per bella juſtiori titulo exercentium

rapinas

rapinas,& tam externis, quam domeſticis populi opibus inhiantium. Ne plebs in pace ſentiret pacis commoda, ne tolleret animos,ne examinaret Patrum conſilia & decreta, perpetuis bellis erat fatiganda, exhaurienda. Interim in Mario tandem,in Sulla, in Pompejo, in Cæſare, in Triumviratu Antonii Lepidi & Auguſti intellexit Roma, quam ſit periculoſæ plenum opus aleæ, bellica unius aut paucorum diuturna poteſtas.

§. XII. Etiamſi vero aliquis in libera Republ. non habeat armorum ſummam, merito tamen imperantibus ſuſpecta eſſe debet, & rerum novarum futuræque tyrannidis non levis indicina, inſolens armorum ſtudium. Johannis Ludovici Fliſci in domum Andreæ Auriæ,ac Johannem ex fratre nepotem,& per hos in Rempubl.Genuenſem conjuratio non ignobilis eſt. Hæc etſi divino, ut reor, nutu in herba ſuppreſſa, Fliſco cum triremes occupare niteretur in mare dilapſo: neque huc tamen res erupiſſet, ſi Auriæ, Fliſci coemptionem triremium tempori inhibuiſſent. Veruntamen vel prudentiores decepiſſet Fliſcus. *Ad omne enim ſimulationis artificium animum verſans, domum Andreæ familiariter ac crebrius etiam, quam antea ventitando; parvulos Johannis natos amplexando; omni denique pietatis & obſequii ſimulatione ſenis canitiem eludebat,tantumque iis artibus perfecerat, ut Andreas monentibus,ut ſibi a Fliſco caveret, quem magnum aliquid rei animo agitare haut dubium eſſe; fidem non habet. Quin etiam cum res in ditione Placentina non ita occulte adminiſtrari potuiſſent,ut non emanarent, Ferdinandusque Gonzaga, per exploratores comperiſſet, Fliſci nomine delectum haberi, iisque Mediolano per literas Andream monuiſſet,ut caveret; Fliſcum enim res novas Genua moliri, atque occulta conſilia ad illum opprimendum ſtruere, ſibi cognitum, exploratumque eſſe; palam dixit, non ſe poſſe adduci, ut credat, tanti ſceleris facinus, tanta ingenii morumque ſuavitate, tamque prope cœleſti aſpectu tegi.* Habet illa in conjurationis Fliſcanæ hiſtoria Vbertus Folieta, vir & latine ſcribendi facultate præſtans, & civilium conſiliorum haut ignarus. Qui Daniam noſtra memoria aliquoties turbavit miniſtri

condi-

conditionem per matrimonii & munerum ſplendorem ſupergreſſus, præter cetera invidiam & ſuſpiciones auxit nimia armorum cura, quæ non ſoli delectamento fore, fidedeles Regi opinabantur.

§. XIII. Longam ac ſtatam felicitatem Regum naturam ad tyrannidem flectere proximo obſervavi capite. Eadem felicitas eſt in Rebuspubl. parta armis quæ ad tyrannidem ducat Duces. *Mens victoriis adſueta cautionis neſcia eſt*: eleganter ſcripſit Ennodius lib. II. Epiſt. XIX. Pauſaniam vide Lacedæmonium, qui *victoria Perſica elatus, plurima miſcere cœpit, & majora concupiſcere*: qui a depulſis Cypro ac Helleſponto barbarorum præſidiis, *elatius ſe gerere cœpit, majoresque appetere res*: apud Nepotem. Sed aliam in Pauſania rationem affert Ariſtoteles, cum mutationi Rerumpubl. anſam dare monet, ſi quis ex majori, ad minorem potentiam ſe metuat detrudi. Polit. V. c. VII. inquit: *Atque etiam mutationes ejuſmodi accidunt, ſi quis jam magnam potentiam adeptus ſit, metuaturque, ne minorem poſſit adipiſci, ut tandem Monarchiam occupet, qualis Pauſania videtur fuiſſe, qui Medico bello Dux Laconici exercitus fuit, & Carthagine Hanno.* Lyſander haut obſcure tyrannidem molitus Lacedæmone. Nam *victoria* ab Athenienſibus *elatus, cum antea ſemper factioſus audaxque fuiſſet, ſic ſibi indulſit, ut ejus opera in maximum odium Græcia Lacedæmonii pervenerint.* Corn. Nepos in Lyſandro. Et poſt cædem mens apertius erupit: ſiquidem *oratio in domo ejus reperta, in qua ſvadet Lacedæmoniis, ut regia poteſtate diſſoluta, ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum.* Idem de Alcibiade: *Timebatur non minus, quam diligebatur, ne ſecunda fortuna, magnisque elatus opibus tyrannidem concupiſceret.* Sic de Cæſare Svetonius cap. XXX. *Quidam putant captum imperii conſuetudine, penſitatisque ſuis & inimicorum viribus, uſum occaſione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupiſſet.*

§. XIV. Favor quoque populi multos docuit prenſare inſolentia, & per blanda teſtudineis, mox auctis viribus, ad tyrannica graſſari greſſibus grallatoriis. Miltiadem Tyrannum jam tum ſupra vidimus, ſed juſtum. At vero quod

Tyran-

Tyrannidem illam *non vi conſecutus, ſed ſuorum voluntate, eamque poteſtatem bonitate retinuerit*, in cauſa erat, *cum ſumma humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis eſſet, cui ad eum non pateret aditus*: quod extrema Corn. Nepotis in Miltiade docent. Quid cauſæ erat, quod Athenis timebatur Alcibiades? Reſpondebit Nepos: *Multos liberalitate devinxerat, plures etiam opera forenſi ſuos reddiderat. Quare fiebat, ut omnium oculos quotiescunque in publicum prodiiſſet, ad ſe converteret, neque ei par quisquam in civitate poneretur.*

§. XV. Etiam debitorum moles quosdam ad affectandam compulit Tyrannidem. L. Catilinæ ſupra mentem *vaſtam, immoderatam, incredibilia, nimis alta ſemper cupientem*, accendebat *æs alienum; quod per omnes terras ingens erat*: firmante Saluſtio: qui & *ferocem animum magis magisque inopia rei familiaris agitatum*, aſſerit. Jam de cupidine Tyrannidis res tam certa, ut idem diſerte ſcribat: *Hunc poſt dominationem L. Syllæ libido maxime invaſerat Reipubl. capiundæ: neque id quibus modis aſſequeretur, dum ſibi regnum pararet, quicquam penſi habebat.*

§. XVI. Tantum eſto de modis, quibus in Ariſtocratico vel Oligarchico regimine ad Tyrannidem nonnulli contenderunt. Pauca nunc addemus de Imperio Populari. Si Ariſtotelis veſtigiis inſiſtimus, fieri aliter non poteſt, quin optima Reſpublica ſit Democratica. Quia enim is non niſi viros ſumme bonos pro civibus admittit in Republ. optima; cives autem ii demum ſunt, qui ſunt capaces regiminis, neceſſum eſt ex illis conflari imperium democraticum. Ceterum ex tali Democratia uti aliæ corruptæ ſpecies prodire nequeunt, ita minime omnium Tyrannis, utpote longisſimo intervallo a tali Rep. ſejuncta. Interim quando ejusmodi Respubl. uti nunc comparatum eſt genus humanum, non datur; quæritur, quomodo in talibus, quæ habentur, Democratiis exſurgant Tyrannides.

§. XVII. Quo melior eſt ſtatus Democraticus, & quo plures civium virtuti, & ſaluti publicæ ſtudent, eo minor erit a Tyrannide formido, ceu jamtum §. XIV. cap. III. monui.

 At

At quo magis Democratia vergit in deterius. ac utilitati ſtudetur privatæ,eo facilius quoque degenerabit tandem in Tyrannidem.

§. XVIII. Ariſtoteles Polit.lib.V. cap. V. tres potiſſimum cauſas exponit, cur olim in Tyrannidem Democratiæ mutarentur, quartum prima, quod belli Duces plurimum gratia valuerint apud populum; ſecunda, quod iisdem ſummi magiſtratus crederentur; tertia,quod in pravis civitatibus populo rei agreſti foris dedito Ducibus belli major fuerit licentia invadendi Rempublicam deſertam. Poſſemus hæc ipſa latius deducendo, inprimis de Demagogorum in mutandis Democratiis poteſtate agere. Verum quia jam ultra expectationem crevit diſſertatio,præſenti capiti finem imponentes ſequenti de conſervanda Tyrannide,Philoſopho duce,loquemur.

CAPVT VI.

DE MODIS CONSERVANDI TYRANNIDEM.

SVMMARIVM.

§. I.

T*Yrannidis conſervandæ modos oſtendimus,non præcipimus. II. Modi duorum generum:* Violenti & Sophiſtici. *Prioris generis multa docuit* Periander Corinthius, *& ſumi poſſunt ex inſtitutis Regum* Perſarum. *III Violentorum I.* Claros ac gratioſos viros tollere: *quod* Thraſibulo,Periander, Tarquinius Superbus, filio *ſvaſerunt, feceruntque* Cæſar, Auguſtus, Tiberius, Nero, Vitellius, Domitianus, Cæſar Borgia, Philippus II. *IV. Violent. II.* Conventus ſubditorum prohibere, & Scholas abolere. *Romani quomodo devictam* Capuam *tractarint.* Cæſar *collegia nova detraxit.* Hiſpani Belgis *interdixere publicis conventibus.* Parlamentorum Anglicanorum *ſolutio.* Trajanus *collegia fabrorum* Nicomediæ *conſtitui noluit.* Domitianus *Profeſſores*

ac bonas artes expulit. Julianus *literas docere ac diſcere vetuit Chriſtianos.* Eduardus I. *devicta Scotia libros concremavit, doctos relegavit.* Turci *ac* Moſci *non attingunt artes liberales. V. Violent. III.* Pergrinationes non permittere ſubditis: *exemplo* Cæſaris Auguſti, Tiberii, Moſcovitici Ducis. *VI. Violent. IV.* Delatores fovere: *ut* Tiberius, Otho, Hadrianus. *Mulierum opera quinam hac in re uſi.* Inquiſitio Hiſpanica. *VII. Violent. V.* Disſidia alere inter ſubditos: *quod fecit* Caligula *inter equites & plebem.* Julianus *libertatem religionis permiſit.* Hiſpani *ſimultates fovent in regno* Neapolitano. Forſtneri *&* Zevecotii *hanc in rem dicta VIII. Violent. VI.* Depauperare ſubjectos. *Quod* Claudio *ſuaſit* Soſibius, *quem merito inceſſit* Forſtnerus. *IX. Viol. VII.* Continuis bellis diſtinere populum: *uti* Dionyſius Siculus *&* Coſimus Medices. *X Violent. VIII.* Diffidere amicis: *perinde ac* Dionyſius Dioni. *Perpetuus Tyrannorum metus crudelitatis in conjunctisſimos fomes. XI. Violent. IX* Omnem licentiam indulgere; *uxoribus etiam in viros, ſervis in Dominos.* Clearchus *matresfamilias earumque natas ſervis nubere voluit. XII. Violent. X.* Viris gravibus & libertatis amantibus non delectari. *XIII Violent. XI.* Peregrinos promovere: *quod per devictas regiones* Hiſpanis *in more. Tyrannus externos legit ſatellites.* Auguſtus, Tiberius, Nero *Germanorum cuſtodia uſi. XIV. Concluſio tractationis de modis violentis, quos excipiunt* Sophiſtici. *XV. Soph I.* Curam ærarii præ ſe ferre, ac profuſiones cavere. Commodus *ſumtum itinerarium in convivia & aleam convertit.* Demetrius Poliorcetes *tributa ſcortis diſtribuit. XVI. Item* Rationes recepti & expenſi reddere: *quod & bono Principi ſvadet* Plinius. *XVII. Ut &* Summam neceſſitatem tributis prætexere. Forſtnerus *artes leniendæ tributorum invidiæ detegit. XVIII. Soph. II.* Humanitati gravitate temperatæ ſtudere, & in admisſionibus ſe facilem præbere: *quod in* Ptolemæo *laudatum: in* Hieronymo *&* Pauſania *notatum. XIX. Soph. III.* Per ſe ſuosque ab injuriis ſubditorum abſtinere. Philippus Macedo *obtruncatus, quod* Pauſaniæ *ſtuprum transmiſerit.* Claudio *imputabantur* Meſſalinæ *libertorumque licentia. XX. Soph. IV.* Voluptates corporis moderari. *Catalogus tyrannorum, quos luxus evertit, ex* Bodino.

Quibus præceptis Coſmus Medices *dimiſerit* Johannem Bentivolum. XXI. *Soph. V.* Vrbem ſplendidis ædificiis exornare. XXII. *Soph. VI.* Pietatem & religionem ſimulare. *Idem conſilium* Machiavelli, *cujus ἀθεότης perſtringitur. Obſervarunt hoc ſophisma* Ferdinandus Arragonius, Pipinus, Muhamedes. XXIII. *Soph. VII.* Præmiis benemeritos per ſe, pœnis per magiſtratus afficere delinquentes. Forſtneri *geminum monitum.* Tiberius *ſuppliciorum invidiam in alios derivavit.* Domitianus *in ſumma crudelitate clemens videri voluit.* XXIV. *Soph. VIII.* Non permittere, ne quis unus excellat, ſed ejus cupiditates per collegam coercere; *inprimis vero* cavere ingenia præferocia. *An ſenſim magni Miniſtri potentia minuenda, an uno impetu præcidenda.* Titus, Cæcinam, Henricus III. Gviſios *fratres improviſo ſuſtulerunt.* XXV. *Soph. XI.* Vt ab omnibus contumeliis, ita præcipue a verberatione ingenuorum abſtinere. Hermolaus *puer nobilis verberibus affectus*, Alexandro M. Sejanus *ob id* Druſo *infenſi.* Cato *accepto colapho negavit ſibi factam injuriam. Quid alias circa pœnas obſervandum. Animi magnanimorum ſemel offenſi plerumque implacabiles.* XXVI. *Soph. X.* Homines vim Tyrannis inferre paratos vitæque prodigos cavere. *Pœnas ab anteceſſorum interfectoribus ſumſere* Auguſtus, Claudius, Vitellius, Caracalla. *Idem* Alexandro *commendat* Darius. XXVII. *Soph. XI* Benevolentiam divitum & pauperum ſibi conciliare, ſed magis adhærere potentioribus. *Servos manumittere, Arma adimere, inter violenta Tyrannorum,* XXVIII. *Concluſio ex Ariſtotelicis expreſſa.*

§. I.

TYrannidis conſervandæ modos tradituri non quid fieri debeat, ſed quid apud Tyrannos recepti moris, inculcabimus. Melius quidem cum genere humano ageretur, ſi venena eſſent nulla: at quia & horum ferax tellus, eorum pernoviſſe naturam, ſuo non caret fructu.

§. II. Duos Ariſtoteles Polit. lib. V. cap. XI. Tyrannidis ſervandæ tradit modos, prorſus inter ſe contrarios: quorum alter violentia nititur & acerbisſima crudelitate; alter

ter mediis mitioribus & magis ſophiſticis. Scilicet ſunt artes aliæ, quibus palam crudeliter graſſantur Tyranni; aliæ, quibus clanculum callidius firmant licentiam. Prioris generis multa a Periandro Corinthio conſtituta tradit Philoſophus; quem *primum ad tyrannidem tranſtuliſſe magiſtratum*, auctor eſt Diogenes Laertius. Multa quoque ab Imperio Perſarum in hoc genere ſumenda, idem confirmat Ariſtoteles. Regnum enim Perſicum per omnes veterum hiſtorias nimii rigoris ſævitiæque nomine audivit male.

§ III. Ex violentis primum: Viros virtute ac magnitudine animi eminentes, ac in vulgus gratioſos tollere. Vt Periandrum agnoſcas, ecce id conſilii dedit Thraſibulo. *Ajunt enim Periandrum* (ſic eſt in Ariſtotelis Polit. lib. III. cap. IX.) *caduceatori ad ſe miſſo de conſilio quod rogabatur, nihil reſpondiſſe, ſed amputatis eminentibus in agro quodam ſpicis ſegetem æquaviſſe: unde tametſi facti cauſam ignoraret, cum tamen eventum rei caduceator renunciaſſet, Thraſibulus intellexit primarios & præſtantes viros ſibi tollendos eſſe.* Idem filium docuit Tarquinius Superbus: *cui Gabiis recepto, atque per nuncios conſulenti quid fieri vellet, eminentia forte papaverum capita virgula excutiens, cum per hoc interficiendos eſſe Principes intelligi vellet, ſic reſpondit* apud Florum lib. I. cap. VII. Cæſar, qui ad libertatem invadendam omnia ſua ſtudia dirigebat, viros quos auctoritas & prudentia commendabat, Reip. conatus fuit eripere. Ideo cum judex quæſtionis eſſet, tentavit C. Rabirium, virum de Rep. optime meritum opprimere. Sed cum *tam cupide condemnaret, reo ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuit:* ut Svetonius ait cap. XII. Hujus veſtigia legit forte Auguſtus. Cum enim Coſs. Romani *Hirtius in acie, Panſa paulo poſt ex vulnere periiſſent, rumor increbuit, ambos opera ejus occiſos: ut Antonio fugato, Rep. Conſulibus orbata, ſolus victores exercitus occuparet.* Videatur Svetonii Auguſtus cap. XI. Tiberius cum *ex optimis periculum ſibi* (Tacitus Ann. I. LXXX.) metueret, pleroſque ſuſtulit. *Primum facinus novi principatus fuit Poſtumi Agrippæ cædes.* Tacit. Ann. I. VI. *Eidem nulla vetus in Arruntium ira; ſed divitem, promtum, artibus egregiis, & pari fama*

fama publice ſuſpectabat. Quippe Auguſtus ſupremis ſermonibus cum tractaret, quinam adipiſci principem locum ſuffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem poſſent cuperentque, L. Arruntium dixerat non indignum, & ſi caſus daretur, auſurum. Hinc eundem, ut & Gallum Aſinium, Cn. Piſonem, aliosque *variis criminibus circumvenit.* Tacitus Ann. I. XIII. Miraculi prope loco idem habet Tacitus, quod Piſo Pontifex bonis artibus inclytus ſuo fato obierit. *Per idem tempus*, inquit Ann. VI. X. *L. Piſo Pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit: nullius ſervilis ſententiæ ſponte auctor, & quoties neceſſitas ingrueret, ſapienter moderans.* Idem quod miretur in L. Voluſiano habet Ann. XIII. XXX. *At L. Voluſius egregia fama conceſſit, cui tres & nonaginta anni ſpatium vivendi, præcipuæque opes bonis artibus, inoffenſa tot Imperatorum malitia fuit.* Alioqui Nero *trucidatis tot inſignibus viris, ad poſtremum virtutem ipſam exſcindere concupivit, interfecto Sorano & Thraſea Pæto.* Tacit. Ann. XVI. XXII. Vitellium Cæſarem in hunc Tyrannorum ordinem neceſſum habemus referre, qui *nobiles viros, condiſcipulos, & æquales ſuos omnibus blanditiis tantum non ad ſocietatem Imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit.* Svetonius c. XIV. Agricola *apud Domitianum abſens accuſatus, abſens abſolutus eſt. Cauſa periculi non crimen ullum, aut querela læſi cujusquam, ſed infenſus virtutibus Princeps, & gloria viri, ac peſſimum inimicorum genus, laudantes.* Tacitus in vita Soceri cap. XLI. Nec ab eorum unquam veſtigiis ſubſecuti usque ad hanc ætatem Tyranni deflexere. *Cæſar Borgia* neminem vivere permiſit, cujus vel libertatem vel potentiam deſiderio ſuo & tyrannidi obſtare poſſe timebat. *Philippus* II. ad tyrannidem adſpirans cum antiquis Belgarum privilegiis vota ſua ſuſpendi & impediri doleret, ſciretque plebem, quamvis armatam, ſi Principum & Magnatum auxilio deſtituatur, eſſe inermem; Proceres innocentiſſimos patriæ & privilegiorum defenſores infami morte affecit per Albani miniſterium.

§. IV. Secundum inſtitutum eſt: Prohibere omnes ſodalitates, convivia, converſationes & conventus ſubditorum publicos: ne ſcilicet conjurent, aut aliquid novi adver-

 ſus

ſus Tyrannum moliantur; quod difficile nequaquam foret, ſi tam amice converſarentur invicem. Huc etiam ſpectat ſtudium educationis juvenilis ſolvere, ſcholasque adeo ipſas tollere. Ariſtotelica hæc ſunt: *Neque ſodalitates, neque diſciplinas, neque ejusmodi quicquam permittere, ſed (quia rebus illis duo tyrannis inimica ſolent homines ſibi comparare, prudentiam & fidam inter ſe amicitiam) edicto prohibere, neque Scholas, neque alios oblectandi otii cauſa liberos conventus permittere, omnibus demum rationibus efficere, ut cives ipſi inter ſe ſic ignoti ſint, ut alii aliis peregrini & hoſpites eſſe videantur. Notitia enim fidos inter ſe notos efficit.* Quid Capuæ devictæ contigerit, ſequentia docent Livii dec. III. lib. VI. *Habitari tantum tanquam urbem frequentariq; placuit: corpus nullum civitatis, nec Senatus, nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe: ſine conſilio publico, ſine imperio multitudinem, nullius rei inter ſe ſociam ad conſenſum inhabilem fore.* Hoc ſpectavit forte Julius Cæſar, quando *cuncta collegia, præter antiquitus conſtituta, detraheret*: narrante Svetonio cap. XLII. Hiſpani non niſi urgente neceſſitate Belgarum ordines permiſerunt congregari, quos etiam non ſemel coeuntes juſſerunt ſolvere conventum. Quid de Parlamentis Anglicanis fiat, cum paulo rigidius loqui ac agere incipiant, multis perſpectum arbitror. Et eſt e re bonarum quoque Rerump. ne plebeja collegia temere nimis inſtituantur. Trajanus conſulenti Plinio, num, ut fortuitis incendiis ſtatim occureretur, Nicomediæ fabrorum collegium conſtitui vellet, reſpondit, ſibi ob factionum periculum diſplicere lib. X. Epiſt. XLIII. Quod ad Scholas ſublatas attinet, Domitianus *expulſis ſapientiæ Profeſſoribus, atque omni bona arte in exilium acta* laboraſſe videtur *ne quid usquam honeſtum occurreret*: affirmante Tacito in vita Agricolæ cap. II. Julianus Apoſtata *Chriſtianos liberales literas docere ac diſcere vetuit*: quæ ſunt Auguſtini de C. Dei lib. XII. cap. LII. cum quo conſentiunt Socrates Hiſt. Eccl. l. III. c. XVI. Sozomenus l. XV. c. XVII. Theodoretus l. III. cap. VII. Nicephorus Calliſtus l. X. c. XXV. Quin & gentilis licet ipſe Ammianus lib. XXII. hanc tyrannidem deteſtatus, inquit: *Illud inclemens obruendum perenni ſilentio, quod arcebat do-*

cere

cere Rhethoricos Magiſtros & Grammaticos, ritus Chriſtiani cultores. De Eduardo I. Angliæ Rege ſcribit Hector Boethius lib. XIV. Hiſtor. cum Scotia ſubacta omnia aboleviſſe erudita, libros concremaſſe, doctos relegaſſe: quo de & apud Buchananum nonnulla legas Hiſtor. Scoticæ lib. VIII. Turcæ quoque nullum liberalium artium admittunt cultum. Moſcorum item Principes nullas ſcholas, niſi in quibus ſcribere & legere diſcunt, permittunt, ne quis Domino plus ſapiat.

§ V. Succedit tertium inſtitutum: Subditis interdicere peregrinandi ſtudium, quo ſemper in propatulo verſentur, & veluti in ipſis foribus Tyranno ad parendum præſto ſint. Hanc enim mentem eſſe Ariſtoteli, poſt alios interpretes demonſtrat Piccartus: neque Philoſophum videntur aſſecuti, qui hæc ad ſpeculatores & miniſtros tyrannidis retulerunt. De Cæſare Svetonius c. XLII. *Sanxit, ne quis civis major annis* XX. *minorve* XL. *qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet; nec quis Senatoris filius, niſi contubernalis, aut comes magiſtratus peregre proficiſceretur.* De Auguſto Dion l. LIII. *Edixit omnibus Senatoribus ne quis eorum peregrinaretur extra Italiam, injuſſu ſuo.* Idem *inter alia dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus aut equitibus Romanis illuſtribus, ſepoſuit Ægyptum: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam clauſtraque terræ ac maris, quamvis levi præſidio adverſum ingentes exercitus inſediſſet.* Unde Tiberius *acerrime increpuit* Germanicum, *quod contra inſtituta Auguſti. non ſponte Principis, Alexandriam introiſſet.* Tacitus Ann. II. LIX. In Moſcovia ſub capitis periculo interdictum, ne ſubditi inſcio Magno Duce fines Imperii egrediantur: quamquam rumor ſit rigorem illum non parum jam deſerbuiſſe.

§. VI. Porro Tyranni intereſt, *exquirere, quid quisque ſubditorum & ſentiat & faciat, & ad eam rem exploratores & ſpeculatores* (κατασκοπὰς) *adhibere, quales Syracuſis erant mulieres ποταγωγίδες dictæ. Hieron quoque otacuſtas emittebat, qui auſcultarent & exciperent, ſicubi cœtus aliquis & conventus eſſet. Cives enim cum tales inſidias metuunt, minus audent, & ſi quid audeant, non facile celatur.* Sunt hæc ex Ariſtotele latine verſa

ſa Delatorum operam ſtabiliendæ Tyrannidi commendantia. Prope nihil eſt in hiſtoria Taciti frequentius exemplis delationum, indeque ſecutarum damnationum. Tiberio imperitante *delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum, per premia eliciebantur*: Annal. IV. XXX. Idem poſtquam eodem libro fuſe expoſuit, Romæ illuſtrem equitem Titium Sabinum a quatuor Senatoribus Conſulatum ſcelere ambientibus deteſtanda fraude proditum atque delatum, tandem ſubjicit cap. LXIX. *Non alias magis anxia & pavens civitas, etiam adverſum proximos, congreſſus colloquia, nota ignotaque aures vitari, etiam muta atque inanima, tectum & parietes circumſpectabantur.* Cui ſimilis eſt locus Hiſtor. I. LXXXV. de Othonianis militibus delatorias artes exercentibus. *Non quies urbi redierat. Strepitus telorum, & facies belli erat: militibus, ut nihil in commune turbantibus, ita ſparſis per domos, occulto habitu, & maligna cura in omnes, quos nobilitas aut opes, aut aliqua inſignis claritudo rumoribus objecerat. Vitellianos quoque milites veniſſe in urbem ad ſtudia partium noſcenda, plerique credebant. Unde plena omnia ſuſpicionum, & vix ſecreta domuum ſine formidine, ſed plurimum trepidationis in publico.* Hadriani quoque ingenio inter virtutes ac vitia vario placebant exploratores ejusmodi ac delatores. *Et erat curioſus* (verba ſunt Spartiani) *non ſolum domus ſuæ, ſed etiam amicorum; ita ut per frumentarios occulta omnia exploraret: nec adverterent amici, ſciri ab Imperatore ſuam vitam, priusquam ipſe hoc Imperator oſtenderet.* Sequiorem ſexum non raro tam infami miniſterio adhibitum, ex monumentis hiſtoricis docemur. *Catilina* mulieres ſubornavit, cum quibus ſtupri commercium habuit, ut conſilia virorum ſibi proderent. De *Auguſto* Svetonius cap. LXIX. *Adulteria quidem exercuiſſe, ne amici quidem negant: excuſantes ſane, non libidine, ſed ratione commiſſa, quo facilius conſilia adverſariorum per cujusque mulieres exquireret.* Et Druſi *quoque ſecreta, corrupta uxore, prodebantur*: ut eſt IV. Annal. Taciti cap. VII. His artibus ſimilis Hiſpanica Inquiſitio, quæ quamvis propter religionem ſolum inventa, ſæpe tamen aliorſum quoque ſpectaſſe proditum.

§. VII.

§. VII. Præterea ſaluti ſuæ conducere putant Tyranni *ſubditos alios ab aliis criminibus & calumniis afflictari & vexari, amicos amicis, plebejos patriciis, divites etiam ſibi ipſis inſidiari*: quæ ſunt Ariſtotelica. Plerique ſane Tyranni ſummam ſecuritatis in diſcordia ſubditorum quærunt, inque id incumbunt unice, ut mutua odia exerceant, ut non ſit

——— Hoſpes ab hoſpite tutus

Non ſocer a genero, fratrum quoque gratia rara.

Caligula *ſcenicis ludis inter plebem & equitem cauſam diſcordiarum ſerens, decimas maturius dabat, ut equeſtria ab infimo quoque occuparentur.* Svetonius cap. XXVI. *Julianus Cæſar* religionum libertatem permiſit, ut diſſenſionum augeſcente licentia non timeret unanimem poſtea plebem. In Neapolitano regno ſimultates variis artibus alunt Hiſpani, ut nondum oblitos priſtinæ conditionis animos facilius ſub jugo contineant. πολιτικοτάτῳ Forſtneri aliqua ex Notis ad Annal. II. Taciti huc facientia adſcribam: *Si Tyrannus ſit, qui regnat, & odio habitus a populo, ut contendentibus civibus ipſe ſecurius vacet, dividendi ſunt, quos timet: deinde, ſi quorundam nimia ſit opibus, factionibusque potentia, aptiori ratione infringi nequit, quam ſi inter illos diſſidia, contentionesque, quibus ſe invicem conſumant, aut ſaltem quibus occupati in Regem conſpirare nequeant, diſſeminentur.* Nec fuerit de nihilo audire Zevecotium Obſervat. Politicis ad Svetonii Cæſarem cap. XIX. *Tyrannus quia odio ſe eſſe ſcit, ſubditos inter ſe committit, ut ſecure de illorum vecordia triumphans ad arbitrium imperet. Illudque imprimis curat, ut diſſenſionibus occupati ſervitutem ſuam nunquam plane videant, aut ſerio penetrent & cognoſcant.* Prolixe hoc argumentum tractat Bodinus de Rep. l. III. c. VI.

§. VIII. Solent etiam Tyranni opes & copias ſubditorum imminuere & ad incitas paulatim redigere. Id quod præſtare poſſunt, tum adigendo illos ad opera quædam publica, eaque & multi ſumtus & diuturni laboris, tum exigendis perpetuo tributis, auctisque indies exactionibus. Sic enim Ariſtoteles: *Omnes ad inopiam & egeſtatem redigi, ut milites in cuſtodia urbis & præſidio locatos non ſtipendio principis, ſed impen-*

impendio plebis ali, & omnibus rebus inſtrui, ut plebem ipſam gratuitis operis, & fabris imperatis, ſic impediri, ut contra tyrannum machinari & moliri nil poſſit. Cujus oppreſſionis exempla ſunt Pyramides Ægypti & Cypſelidarum ſtatuæ, & Jovis Olympii fanum a Piſiſtratidis ædificatum, & Samia Policratis opera. Hæc ſiquidem omnia eo pertinent, ut ſubditi in labore & paupertate miſeri verſentur. Exactio etiam tributorum eodem referenda eſt: ut Syracuſis tyranno Dionyſio accidit, cives quinquennii tributo fortunis & facultatibus omnibus ſpoliari & exhauriri: quem locum egregie illuſtrat Piccartus. Summarim id certum nimis, optare pleroſque Tyrannos, ut ſubditi pauperes ſint, ne, quod impatienter ferunt, jugum excutiant. E diverſo legitimi Principes & qui non invitos regunt, malunt ditiores. Quo enim ſubditi beatiores ſunt, eo majori pignore habent obligatos. Soſibius Britannici educator, *per ſpeciem benevolentiæ monebat* Claudium, *auri vim atque opes Principibus infenſas.* Tacit. Ann. XI. I. Ad quæ graviter Forſtnerus: *Oratio digna ſycophanta aulico, qualis Soſibius erat; qui quod cupiditas & avaritia erat, curam ſalutis & ſecuritatis Principis credi volebat. Verum eſt, auri vim atque opes, tanquam depellendæ tyrannidis inſtrumenta tyrannis infenſas eſſe: quod vel ſolius Dionis Syracuſani exemplo comprobatur: at falſum eſt, opes atque divitias bonis atque præclaris Principibus exitioſas.*

§. IX. Novum ſuccedit Tyrannorum inſtitutum, quo ſubditis quietem & pacem adimunt. *Eſt* enim, juxta Philoſophum *bellorum* quaſi *fabricator Tyrannus* (ἔϛι δὲ καὶ πολεμοποιός ὁ τύραννος) *ut ſubditi interim ſint occupati, & in Ducis miniſterio ſervitioque permaneant.* Quam obſervationem Ariſtoteles non ſumſit ſolum e Platonis lib. VIII. de Rep. ſed & verba ejus expreſſit. Apud Tacitum Ann. XV. Tiridates: *Non ignavia magna imperia contineri* cenſet, *virorum armorumque faciendum certamen*: quem locum fuſe illuſtrat Forſtnerus. Dionyſius *e Sicilia Carthaginienſibus pulſis, occupatoque totius Inſulæ imperio, grave otium regno ſuo, periculoſamque diſſidiam tanti exercitus ratus, copias in Italiam trajecit.* Juſtinus l. XX. c. I. Inſigne quoque hujus rei exemplum præbuit Coſmus Medices. Cum enim

Florentinam tyrannidem callidiſſime aucuparetur, bello cives ſuos contra Lucenſes implicuit, eidemque præfuit; cumque victoriam ſæpius in manibus haberet, dimiſit tamen aſtutiſſime, imo vicinum Ducem, ut Lucenſibus ſuppetias contra ſe ferret, excitavit: quod Johannes Michael Brutus ſcribit Hiſtor. Florentinæ lib. I. Piccarto ad proxime allatum Stagiritæ locum laudatus.

§. X. Non minimum etiam inter tyrannica locum occupat perpetua amicorum diffidentia. *Ac regnum quidem*, inquit Ariſtoteles, *amicorum fide & benivolentia conſervatur. Tyrannis vero diffidentia familiarum & amicorum, velut omnes quidem velint, atque etiam inprimis hi poſſint tyrannum tollere.* Dionyſius Siciliæ tyrannus *cum a Dione ſe ſuperari videret ingenio, autoritate, amore populi, verens ne, ſi eum ſecum haberet, aliquam occaſionem ſui daret opprimendi; navem ei triremem dedit, qua Corinthum deveheretur: oſtendens, ſe id utriusque facere cauſa, ne, cum inter ſe timerent, alteruter alterum præoccuparet:* uti his verbis docuit Corn. Nepos in Dione cap IV. Diffidentiæ cauſa non æque ſemper vana: cum quosdam Tyrannorum ab intimis amicorum ſublatos doceant hiſtoriæ. Interea perpetuus ille tortor metus tam funeſtas excitavit clades, ut Tyranni nec Parentibus, nec uxoribus, nec ſoboli, nec fratribus, nec ſororibus, nec ulli cognatorum pepercerint: qualia exempla cum in ſacris externisque ſcriptis paſſim ſint obvia, ejusmodi longa ſerie recenſere, hominis eſſet tempore ac ocio ſuo abutentis.

§. XI. Præterea fulcrum tyrannidis æſtimatur, permittere omnem, quæ in bonis Rebuspubl. prohibetur, licentiam: cujus duo Philoſophus affert ſpecimina: ſi nimirum mulieribus in viros, ſervis in dominos nimium tribuatur poteſtatis: quandoquidem nec a ſexu muliebri, nec a ſervili conditione tyranni ſibi habeant timere. Ariſtotelica ita hac de re habent: *Ea etiam quæ in extrema Democratia fieri ſolent, tyrannorum propria ſunt omnia: mulierum in ſua cujusque familia poteſtas viros accuſandi & criminandi, ſervorumque ob eandem adverſus heros cauſam libertas & licentia; quoniam neque ſervi*

vi, neque mulieres tyrannis facere inſidias cogitant. Imo vero ſi pro ſua voluntate ac libidine vivant, & Tyrannidem & Democratiam neceſſario fovebunt & amabunt. Juſtinus de Clearcho tyranno Heracleienſi l. XVI. c. V. *Ne quid mali afflictis honeſtiſſimis domibus deeſſet, uxores eorum, filiasque nubere ſervis ſuis, propoſita recuſantibus morte, compellit, ut eos ſibi fidiores, & dominis infeſtiores redderet.*

§. XII. Tyrannicam quoque notam cenſet Ariſtoteles gravibus viris & libertatis ſtudioſis non delectari. Qui enim hos ferat Tyrannus, qui ne liberam quidem vocem æquo animo tolerat? Verba Philoſophi a Ramo in latinum verſa ita habent: *Tyrannicum etiam eſt, neque gravitate hominis cujusque, neque libertate delectari. Tyrannus enim ſe talem ſolum exiſtimat eſſe oportere. At qui contra & gravitatem & libertatem parem reponit, is tyrannidis excellentiam & dominationem tollit. Quapropter oderunt eos Tyranni, veluti tyrannidis hoſtes & everſores.* Exemplis non illuſtrabimus hanc propoſitionem, cum præſertim non incommode ad primum inſtitutum referri poſſe exiſtimem.

§. XIII. Denique Tyranni in peregrinis fovendis ac promovendis quoddam ſervandæ poteſtatis quærunt firmamentum; quod civibus, quorum odio ſe flagrare ſentiunt, vitam ac ſalutem tuto non auſint credere. *Peregrinis etiam*, ait Philoſophus, *ſodalibus & convivis potius, quam civibus uti, tyrannicum eſt; velut hi quidem ſint hoſtes, illi vero non adverſarii.* Ars *hæc Hiſpanorum eſt*, Polit. Inſtit. l. II. c. IV. ſcribit Boxhornius, *qui peregrinos (reſpectu locorum, in quos mittuntur) rebus imponunt, ne cives impoſiti cum indigenis in præjudicium eorum conſentiant.* Hinc quoque ab Ariſtotele Polit. lib. III. cap. X. obſervatum, quod Tyranni corporis cuſtodiæ admoveant peregrinos, cum e contrario Regem cingant cives ſui. Οἱ γὰρ πολῖται φυλάττουσιν ὅπλοις τοὺς βασιλεῖς, τοὺς δὲ τυράννους ξενικόν. *Cives armis Reges cuſtodiunt, tyrannos vero peregrini.* Quare quod *Auguſtus, Tiberius, Nero*, Germanorum cuſtodia uſi ſunt, ideo & ſe ſecuros voluere reddere, & nova auluris terrorem incutere. De Nerone Tacitus Ann. XV. LVIII. *Volitabant per fora, per domos, rura quoque &*

& proxima municipiorum pedites equitesque, permixti Germanis, quibus fidebat Princeps quaſi externis: ad quæ videatur Forſtnerus.

§. XIV. Et hi quidem violenti ſunt Tyrannidis firmandæ modi ab Ariſtotele propoſiti: quos quidem ad hæc tria ſpectare aſſerit: ut ſubditi animo ſint ſervili & abjecto; ut ſibi invicem diffidant; ut ſint infirmi atque impotentes. Hos nunc excipiant Sophiſmata id inprimis agentia, ut omnia ad regni ſimilitudinem compoſita videantur. *Quemadmodum enim regni labes* (ut iterum loquamur cum Philoſopho) *& ruina conſequitur, ſi tyrannicum efficiatur, ſic ſane tyrannidis ſalus eſt, ſi ad regni ſimilitudinem comparetur.*

§. XV. Primo igitur hoc faciet Tyrannus, ſi ſummam præ ſe tulerit publici ærarii curam, largitiones cavendo omnes, quibus animi multitudinis offendantur. Neque enim illi exacerbari magis poterunt, quam ſi in comeſſatores, gnathones, hiſtriones, & id hominum genus profuſe conferantur, quæ ut cives exſolverent, defraudare genium neceſſum habuerunt. Ariſtotelica ſi quis deſiderat, latine habent in hunc modum: *Primum ut Reip tyrannus conſulere videatur, neque largitiones eas faciat, quibus animi multitudinis offendantur, cum ea ſcortis, amicis, adulatoribus, ſcenicis, artificibus profuſe largitur, quæ civium labori atque operi miſere & indigne ſubtrahit & ſuffuratur.* Quem animum fuiſſe putas Romanis, cum Commodus, *ſimulans ſe in Africam iturum, ſumtum itinerarium exigeret, eumque in convivia & aleam converteret?* quod Lampridius in vita Commodi narrat. Peccavit quoque in eo Demetrius Poliorcetes Macedoniæ Rex, qui cum CCL. talenta exactione gravi extorſiſſet Athenienſibus, Lamiæ meretrici cæteriſque ſcortis dari juberet. Nam rei indignitas & opprobrium vehementer pupugit cives, pluſque animos exulcerarunt verba, quibus in exigendo uſus, quam ipſa exactio. Videatur Plutarchus in vita Demetrii.

§. XVI. Huic fini etiam Tyranno auctor eſt Philoſophus, ut *rationes* interdum *tam recepti quam expenſi reddat. Nam qui ſic Remp. adminiſtrabit, non tyrannus ſed œconomus eſſe videbi-*

videbitur. Neque metuendum eſt, ne quando pecuniis & opibus tyrannus egeat, cum civitatis ſit dominus. Idem bono Principi ſvadet Plinius Panegyrici cap. XX. *Aſſveſcat Imperator, cum imperio calculum ponere: Sic exeat, ſic redeat, tanquam rationem redditurus: edicat, quid abſumpſerit. Ita fiet, ut non abſumat, quod pudeat edicere.*

§. XVII. Porro & hoc circa tributa Tyranno obſervandum monet civilis Sapientiæ Magiſter ſummus, ne unquam ea indicat, niſi ſimulet, ſumma ſe neceſſitate ad ea exigenda compelli; tum ad familiam alendam, tum ad ſumtus bellicos. *Tributa quoque & vectigalia,* inquit, *Tyrannus ſic indicere & imperare debet, ut id œconomiæ gratia facere, & ad belli neceſſitates & uſus reſpicere.* Ceterum quibus artibus tributorum neceſſariorum invidia leniatur, elegantisſime docuit Forſtnerus Notis Politicis ad extrema IV. Annal. Taciti, cum paulo ante plurimis exemplis adſtruxiſſet, quantis periculis obnoxia ſit rigida tributorum exactio.

§. XVIII. Alterum Ariſtotelis inter ſophiſtica præceptum eſt, ne affectet Tyrannus auſteram quandam vultus ſeveritatem, ſed potius ſtudeat regiæ cuidam & humanitate temperatæ gravitati: ne ſcilicet metuere ipſum neceſſe habeant ſubditi, ſed revereantur potius, & honore afficiant. Difficile tamen cenſet hic mediam tenere viam, ut ne facilitas declinet in contemtum. *Præterea ſe non difficilem & inſolentem* (hæc ipſa ſunt Auctoris) *ſed conſtantem & gravem fingat; quod hinc efficietur, ſi qui ad illum conveniendi & colloquendi gratia adibunt, non timeant, ſed potius vereantur. Quod aſſequi tamen non facile poſſit is, qui facile contemnatur. Quamobrem tametſi ceterarum laudum nulla tyrannis cura ſit, attamen civilis virtutis imprimis habenda eſt ratio, eaque de ſe ipſis confirmanda opinio.* Hanc autem confirmabit Tyrannus juxta cum bono Principe, ſi in admisſionibus non fuerit difficilis. Laudatus eo nomine Curtio Ptolemæus, *qui & pacis artibus, quam militiæ major & clarior, modico civilique cultu, liberalis inprimis, aditusque facilis, nihil ex faſtu regio aſſumſerat.* lib. IX. c. VIII. Notatus contra Livio dec. III. l. IV. Hieronymus Siciliæ tyrannus, *quod*

quod aditus non alienis modo, ſed etiam tutoribus difficilis fuerit. Et Nepoti Pauſanias, quod *aditum petentibus conveniendi non deerit.*

§. XIX. Succedit tertium præceptum: Tyrannus Tyrannique familiares & domeſtici, ac conjuges quoque a ſubditorum injuriis & contumeliis abſtinere videantur. *Atque etiam non ſolum Tyrannus ipſe ſubditorum ſuorum nemini, neque puero neq; puellæ, ſed ne familiarium ipſius & domeſticorum quisquam injuriam afferre videatur. In eadem continentia tyranni conjuges appareant, ne ſint in alias mulieres contumelioſæ: quia tyrannicæ dominationes permultæ mulierum contumeliis everſæ ſunt.* Philippum Macedonem Pauſanias nobilis adoleſcens obtruncavit. *Hic Pauſanias primis pubertatis annis ſtuprum per injuriam passus ab Attalo fuerat. Hanc rem ægre ferens Pauſanias, querelam Philippo ſæpe detulerat. Cum variis fruſtrationibus non ſine riſu differretur, & honoratum inſuper ducatu adverſarium cerneret; iram in ipſum Philippum vertit: ultionemque, quam ab adverſario non poterat, ab iniquo judice exegit.* Juſtinus lib. IX. c. VI. Claudium Cæſarem infamem reddebat ſtolida natura: ſed odium publicum accendebat, quod ipſe Meſſalinæ conjugis & libertorum eſſet famulus: qua de re legendus eſt Dio Casſius. Aurelius Victor eum proinde notat his verbis: *Ubi Meſſalinæ conjugis, ſimulque libertorum delinimentis, quibus ſemet dediderat, in pravum abſtractus, non illa modo Tyrannorum admiſſa, verum quæ poſtremum genus mulierum atque ſervile quibat facere viro amenti dominoque.*

§. XX. Quartum eſt: Tyrannus voluptatibus corporis non nimium indulgeat; ſed moderetur eas, aut moderationem fingat. Valde enim improbat Philoſophus Tyrannos ſui temporis, quod dies noctesque in omni genere voluptatum tranſigentes apud alios delicias ſuas ebuccinarent. Sic enim loquitur per interpretem: *Quod etiam ad voluptates corporis attinet, contra quam plerique noſtrorum temporum Tyranni faciunt, erit faciendum. Nam qui tyrannidem nunc tenent, non ſolum ſimulatque diluxit dies, per multos etiam continuos voluptatibus corporis ſe tradunt, ſed apud alios etiam ſuas delicias ac volupta-*

voluptates prædicant & oſtentant, ut ab illis tanquam felices & beati ſuſpiciantur. At hæc inprimis quidem moderanda ſunt ac temperanda, aut certe moderatio quædam & temperatio fingenda. Nec enim ſobrii, ſed ebrii, neque vigilantes, ſed dormientes facile oppugnantur & contemnuntur. Bodinus lib. IV. de Rep. catalogum nobis repræſentat Tyrannorum, quos voluptas perdidit, quem non pigrabimur repetere. Sunt autem ſequentes: Sardanapalus, Canades, Dionyſius junior, Hieronymus, Heliogabalus, Amyntas, Periander, Piſiſtratus, Tarquinius, Ariſtocrates, Timocrates, Childericus, Andronicus, Rodericus, Appius Claudius, Galeacius Sfortia, Alexander Medices, Perucius Senenſis, Lugtacus & Megalus Scotiæ Reges; *qui omnes*, inquit, *ab imperio exciderunt, cum impuræ libidini, quam virtuti ſervire maluiſſent.* Scilicet ſalvi diu & incolumes in ſummo faſtigio ſtare non potuerunt, qui ſummam fortunam in luxu rati; qui ſtupra, comeſſationes & fœminarum cœtus Principatus præmia putarunt. Coſmus Medices cum Johannem Bentivolum ad Bononienſem Principatum capeſſendum dimitteret, inter cetera Reip. gerendæ præcepta tria hæc præcipua dediſſe dicitur: *Annonæ curam ſedulo ageret: omnibus ſine diſcrimine jus diceret; ab alienis uxoribus abſtineret.* Joh. Baptiſta Pigna l. VII. Hiſtor. Ateſtinæ. Et hactenus bene ſatis Machiavellus in Principe cap. XIX. *In odium maxime omnium adducitur, ſi fuerit rapax, & uſurpator bonorum ac mulierum ſubditorum ſuorum. Quibus proinde abſtinendum eſt.*

§. XXI. Quintum præceptum generale eſt, cui tamen mox ſubjungit ſpeciale. Et illud quidem, debere Tyrannum per omnia contrariam inſiſtere viam in iis, quæ de violentis mediis propoſuerat. Itaque ſicut iſti aut nullam, vel exiguam urbis, aut ſubditorum habent rationem, ita Noſter ſollicitam navare debet operam, ut urbem exornet ſplendidis ædificiis, muris, turribus, caſtellis porticibus, templis, palatiis viis & portubus. Sic enim fere παραφράζει Ariſtotelem celeberrimus interpres Piccartus, apud quem & exempla hujus argumenti elegantia legeris.

§. XXII. Sextum præceptum Tyranno ſimulationem

I pieta-

pietatis & religioſi cultus divini commendat. Hoc enim modo ſubditi bonam de eo ſpem concipient, fore ſcilicet, ut nihil deſignet injuſti, qui Deum colat & revereatur. Deinde nihil molientur adverſus Dominum, quem Deo carum crediderint propter pietatem, quique in partes ſit venturus, ſi inſidiis ſeditioſorum appetatur. Simulationem tamen ita Ariſtoteles vult inſtitui, ne dolum ſubeſſe in vulgus emanet. Ariſtotelica ſubjungo: *Præterea Deos eximia ſingularique religione colere ac venerari videatur. Nam minus injurias ab eo Principe ſubditi metuunt, quem religioſum & Deorum cultus deditum arbitrantur: eique velut commilitones Deos & adjutores habenti minus inſidiantur. Nec vero ſtulta & anili ſuperſtitione, ſed vera & conſtanti religione talem videri neceſſe eſt.* Ex hac patera ſua hauſit Machiavellus, quando cap. XVIII. Principem ut aliarum virtutum, ita pietatis præcipue non tam poſſeſſorem, quam ſimulatorem cupit. *Non eſt* inquit, *quod Princeps omnes ſuperius deſcriptas virtutes habeat: neceſſarium vero eſt apparere, quaſi habeat. Imo auſim dicere, ſemper noxium eſſe, ſi Princeps illis ſit præditus, & illas obſervet; utile vero, ſi Princeps ſimulet, ſe illas poſſidere. Ut ſimulet pietatem, fidem, humanitatem, religionem, integritatem: modo animus ita compoſitus ſit, ut ſi opus, poſſis in contrarium mutare.* Et paulo poſt: *In id Princeps curam diligentiamque omnem adhibeat, ne quid ex ejus ore excidat, quod quinque illis jam numeratis virtutibus non ſit refertum, atque ita conſpiciendum ſeſe audiendumque exhibeat, ut pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, religionem ſancte colere videatur. Nihil vero eſt, quod magis præ ſe ferre oporteat, quam poſtremam hanc virtutem.* Peſtilentia ſunt hæc, fateor: ſed & ab homine ſcripta cogitemus, cui nullam religionem, nullam pietatem cordi crediderim: & in gratiam ſui Principis, hoc eſt Tyranno ſimilioris. Tum ab omni ævo hæc agitur fabula, ac irreligioſis quibusque geſtis tamen Deus, pietas, cultus divinus prætexuntur. Ferdinandus Arragonius Hiſpaniæ Rex omnes ſuas cupiditates colore religionis texit: quod oſtendit Guicciardinus XII. Hiſtoriar. Pipinus translato a Merovæi ſtirpe in ſe Franciæ regno,

gno, ut non magis invictas ipſius vires formidarent populi, quam religionem revererentur, Stephanum Romanum Pontificem, a quo coronaretur, inungereturque Roma in Galliam traduxit. Paulus Æmilius lib. II. de rebus geſtis Francor. Muhamedes impuris libidinibus ſemper pruriens, ne impietatis manifeſtus fieret, adeoque compagem tyrannidis ſuæ ipſe diſſolveret, omnia in Deum referebat, tot ac tot fœminas Angelum Gabrielem ſibi conceſſiſſe dictante: ut lib. de Vrbibus & Moribus Oriental. c. VIII. referunt Gabriel Sionita & Joh. Heſronita, Maronita e Libano. Forſtnerum vide ad Annal. I. Taciti, qui ſuam obſervationem hac pientisſima obſignat clauſula. *Religionis mercimonium in profanis Ethnicorum Regibus prudentia videri poſſit; Chriſtianos autem Principes ea decet ſcientia; timorem & amorem Dei Opt. Max. felicisſimam eſſe gubernandi populos artem; neque ſine ultimo ſcelere nomine divino abuti licere ad regendas ambitionis & avaritiæ nefarias artes.* Exempla autem ſimulatæ religionis plura, cui libet, mutuari poteſt ex Berneggeri Quæſt. XXXVIII. & XLVIII. in Germaniam Taciti, Freinshemio in Curtii lib. IV. c. X. Forſtnero Hypomnemat. Polit. LXXIII. Piccarto Dec. XI. c. I. Lipſio Notis ad lib. I. Polit. c. IV.

§. XXIII. Septimum præceptum eſt de præmiis & pœnis: & illis quidem viros benemeritos per ſe afficiendos; has magiſtratuum ſubſidiaria opera infligendas cenſet. *Tum etiam viros*, ait, *rebus præclare geſtis egregios iis honoribus afficere debebit, ut a libera & ſuis legibus utente civitate majores ſe conſequi potuiſſe non exiſtiment: atque hos honores per ſe quidem ipſe Tyrannus tribuet, eamque ſibi gratiam propriam reſervabit. Pœnarum autem & ſuppliciorum ſeveritatem & acerbitatem magiſtratibus aliis judiciisque committet.* Geminum eſt Forſtneri monitum ad bonos quoque Principes transmiſſum, ſequentibus verbis: *Principem ab omni acerbitatis ac truculentiæ ſuſpicione abeſſe decet. Et quoniam gratioſisſima ſunt præmia, pœna contra odioſiſſima, ipſum omnia præmia tribuere convenit; magiſtratus, inquam, imperia, ſacerdotia, curationes, munera*

nera, beneficia, reſtitutiones: pœnam vero irrogare nemini, ſed earum impoſitionem magiſtratibus integerrimis ac prudentiſſimis committere. Plura hanc in rem diſſeruit Bodinus, cujus prope integrum caput VI. lib. IV. de Rep. in hoc argumento occupatur. Tiberium Cæſarem ſuppliciorum invidiam in alios derivaſſe, aliquoties prodit Tacitus. Nec minus Domitianus, crudeliſſimus alias, videri clemens voluit, dum Senatum in majeſtatis reos more majorum animadvertendum eſſe cenſentem apud Svetonium cap. XI. ſic alloquitur: *Permittite, Patres Conſcripti, a pietate veſtra impetrari, quod ſcio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis veſtris, & intelligent me omnes Senatui interfuiſſe.*

§. XXIV. Octavam cautionem omnibus regni ſpeciebus proficuam, ſpeciatim ad tyrannidem accommodat Philoſophus: Non permittere ſcilicet, ne quis unus nimium excellat; & præſtare, ut plures emineant: quod hoc pacto ſe invicem obſervantes æmulationibus ſint obnoxii. Forſtnerus hoc perſpexit probe ad Ann. II. c. V. ſcribens: *Iterum alia cautio eſt, ut ſi in magnum virum conferre imperium ſit neceſſe, ipſius pravæ cupiditates collega addito coërceantur. Quo conſilio cum Conſtantius Imperator Gallum Cæſarem ad ſe evocare vellet, diſſvaſerunt alii: quippe diſcedente Cæſare Urſicinum in Oriente pernicioſe relinquendum, nullo futuro, qui prohiberet altiora meditantem.* Ammian. l. XIV. Huc refero æmulationem illam inter Piſonem & Germanicum Tiberianis artibus excitatam. Et ipſe Piſo *non dubium habebat, ſe delectum, qui Syriæ imponeretur ad ſpes Germanici coërcendas.* Tacitus Ann. II. XLIII. Quod ſi vero omnino vitari non poſſit, quo minus in unum aliquem potentia conferenda major, cavendum tamen ſedulo, ne is ingenio ſit præferoci ac turbulento, atque adeo ad turbandam Remp. nato, facto. Talis erat Avidius ille Caſſius, de quo Volcatius Gallicanus: *Oderat tacite Principatum, nec ferre poterat Imperatorium nomen.* Tacitus ejusmodi homines nunc *contumaces* vocat, nunc *feroces*, nunc *turbidos*, nunc *violentos*, item *plus quam civilia agitantes.* Livius

lib.

lib.IV. *Elatos ſupra modum hominis privati.* Curtius l.VI. *non quidem ſceleris, ſed contumaciæ ſuſpectos.* Atſi metuat tyrannus, ne potentia inflet animum, & ad pernicioſa conſilia propellat, tum ſenſim illi, ne altius evolet, evellendæ eſſe alæ, quam uno impetu præcidendæ. Moris noſtri memores per interpretem loquentem ſiſtemus Philoſophum: *Omnis monarchiæ retinendæ & conſervandæ communis eſt cautio, neminem unum magnis opibus & honoribus augere, & ornare. Sed (ſi commodum id erit) plures: propterea quod alius alium cuſtodiet & obſervabit. At ſi amplis honoribus augendus ſit, in eo tamen feroces & audaces mores fugiendi & cavendi erunt. Tales enim mores omnium commotionum & perturbationum ſunt avidiſſimi. Si quis autem ſpoliandus videatur ea, ſenſim & paulatim minuenda erit, non tota ſimul auferenda.* Quod ad ultima illa attinet, repererit forte Philoſophus nonnullos diſſentientes. Certe Tyrannorum, & quandoque Regum mos fuit, miniſtrum potentia formidabilem uno impetu præcipitem dare, ne ablata ſenſim poteſtate præſidia interna vel externa quærat & inveniat. Hinc Titus *A. Cæcinam conſularem virum, vocatum ad cœnam, ac vix dum triclinio egreſſum, confodi juſſit: ſane urgente diſcrimine, cum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites conſpirationis deprehendiſſet.* Eidem viæ inſtitit Henricus III. Rex Galliarum adverſus Gviſios fratres: quod prolixe enarrat Thuanus lib. XCIII.

§. XXV. Nonum præceptum jam ſupra quoque tactum. Oportere ſcilicet Tyrannum ab omni contumelia abſtinere, maxime vero a pulſatione ſeu verberatione, & imminutione floris juvenilis, ſive ſtupro. Inprimis vero ab illis ſe contineat, quos magno videt eſſe animo, gloriæque cupido. *Cum ab omni injuria Tyrannus abſtinere debeat, tum certe imprimis duabus, ne crudeliter in cujusquam corpus ſæviat, neve ætati gratia libidinis illudat. Eaque cautio erga homines laudis avidos & honoris appetentes diligenter adhibenda eſt.* Certe homines ingenuos verberibus affectos nec reverentiæ debitæ fræno retentos ultionem ſui ſpiraſſe, loquuntur hiſtoriæ. Poene id exitio fuiſſet Alexandro M. quando

Hermolaus puer nobilis ex regia cohorte, cum aprum telo occupaſſet, quam Rex ferire deſtinaverat; juſſu ejus verberibus affectus eſſet. Vide Curtium lib. VIII. cap. VI. Nec quicquam ita Sejanum impulit, ut Druſo Tyberii filio exitium machinaretur, quam quod Druſus *impatiens æmuli, & animo commotior, orto forte jurgio, intendens Sejano manus, & contratendentis os verberaverat:* ut ſcribit Tacitus IV. Ann. c. III. Paucos reperias Catoni ſimiles, cui *cum os percuſſum eſſet, non excanduit, non vindicavit injuriam: ne remiſit quidem, ſed factam negavit:* quod recenſens Seneca de Conſtantia Sapientis cap. XIV. ſubjungit: *Majore animo non agnovit, quam ignoviſſet.* Id vix perſvaſerit Seneca niſi hominibus Chriſti præcepta & exemplum toto animo ſequi cupidis. Alioquin recte addit Philoſopus, *ut avari pecuniæ, ſic honoris & bonæ famæ ſtudioſi bonique viri gloriæ jacturam graviter ferunt.* Aſtinendum igitur vel in totum a talibus ait, vel caute circa eas injurias verſandum. Præcipue in infligendis pœnis ſe componere ad eum debet modum; ut cives animadvertant, non odio, aut libidine, aut petulantia ad puniendum deſcendere, ſed animo paterno vitia corripere, & cum dolore quodam animi. Omnes etiam contumelias collatis poſtea majoribus honoribus vel eluere vel exſtinguere debet. Neque tamen ſemper eluet ex animo per injurias exulcerato priſtinam offenſam Tyrannus; quin is in omnia temporum momenta excubans occultatam diu iram aliquando effundet. *Proprium humani ingenii eſt,* ait Tacitus in Agricolæ vita cap. XIII. *odiſſe quem læſeris.* Et Seneca alicubi: *Animi magna fortuna inſolescentes hoc habent in ſe peſſimi, ut quos læſerint, oderint.* Quam in rem egregius locus eſt in Musladini Sadi *Roſario Perſico* monitis & exemplis politicis referto, quem Adamus Olearius Germanice, Georgius Gentius latine loquentem fecit, lib. III. c. XXVII. *Sapientum ſententia eſt: Cujuscunque animum offenderis ſemel, etſi poſtea centum beneficia contuleris, a vindicta illius unius injuriæ ſecurus eſſe nolito. Sagitta quidem eximitur vulneri, ſed acceptæ injuriæ memoria in animo altisſime reſidet. Quam bene monuit Bechtoſchus & Chiltaſchus:*

Si

Si hoſtem exacerbaveris, ſecurus ne eſto.
Securus eſſe nolito, in animi dolores incides,
Si te auctore animus alicujus offenſus fuerit;
Lapidem in arcis murum ne projicias,
Fieri quippe poteſt, ut ex arce lapis quoque ruat.

Quæ in eandem ſententiam 'Ο πάνυ Conringius Animadvers. Polit. in Machiavelli Principem cap. III. diſſerit, omne merentur punctum.

§. XXVI. Præcepto decimo Ariſtoteles Tyrannum cavere vult ab iis, qui manum ipſis inferre non dubitent: inprimis ſi iſti vitæ propriæ ſint prodigi, ut odio & vindictæ ſatisfaciant. *Ex his vero qui vim Tyrannis & manus afferre audeant, hi maxime ſunt formidandi, & imprimis obſervandi, qui modo necem tyrannis attulerint, de vita ſua nil laborant. Itaque tales maxime obſervandi ſunt, ſi vel ſe vel ſibi charos contumelia affectos exiſtiment. Nihil enim ſibi conſulunt, aut parcunt, qui ad impetum faciendum ira concitantur; quemadmodum etiam ait Heraclitus, cum inquit: Difficile eſt contra iram pugnare. Eam ſiquidem pugnam vitæ pretio animæque diſpendio conſtare.* Niſi de ſophiſticis hic conſervandæ Tyrannidis Philoſophus ageret modis, etiam huc referrem pœnas ab Anteceſſoris interfectoribus ſumtas. Auguſtus *omnium bellorum initium & cauſam hinc ſumſit, nihil convenientius docens, quam necem avunculi* (C. Julii Cæſaris) *vindicare.* Svetonius cap. X. Quod eleganter expreſſit Guntherus Ligurini lib. I.

Sic Auguſtorum primus ſummusque monarches,
Eximiusque nepos, crudelia Cæſaris olim
Hoſtibus exſtinctis, pius ac fortisſimus ultor,
Protinus accepto diademate facta piavit.

Claudius *omnium factorum dictorumque veniam & oblivionem in perpetuum ſanxit, ac præſtitit: tribunis modo ac centurionibus paucis e conjuratorum in Cajum numero interemtis, exempli ſimul cauſa, & quod ſuam quoque cædem depoſciſſe cognoverat.* Svetonius cap. XI. Vitellius interfectores Galbæ, quamvis hoſtis, *omnes conquiri & interfici juſſit, non honore Galbæ ſed tradito Principibus more, munimentum ad præſens, in poſterum ulti-*

ultionem. Tacitus Hiſt.l.XLIV. AntoninusCaracalla *Letum ad mortem coegit, miſſo a ſe veneno: ipſe enim inter ſvaſoresGetæ mortis primus fuerat, qui & primus interemptus eſt. Ipſe mortem ejus ſæpiſſime flevit. Multos qui cædis ejus conſcii fuerant, interemit.* Capitolinus in vita Caracallæ. Hujus rei rationem ſub Darii a Beſſo lethaliter vulnerati nomine expoſuit is, qui lacero Curtii lib. V. extremo ſupplementum attexuit. Sic enim Darius Alexandrum alloquens inducitur: *Ultionem ſceleris erga ſe perpetrati, non ſolum ſua, ſed exempli, omniumque Regum cauſa non negligere, illi cum decorum, tum utile futurum.* Juſtinus l. XI. c. XV. ſic expreſſit: *Quod ad ultionem pertineat, jam non ſuam, ſed exempli, communemque omnium Regum eſſe cauſam, quam negligere illi & indecorum, & periculoſum eſſe: quippe cum in altero juſtitiæ ejus, in altero etiam utilitatis cauſa verſetur.*

§. XXVII. Vltimum præceptorum eo ſpectat, ut, quoniam civitas ex duobus fere ordinibus, opulentis ſcilicet & pauperibus conſtet, utriusque benevolentiam ſibi conciliet, nec alterum ab altero premi permittat. Quod ſi hoc conſequi non poſſit, ſemper potentiorem partem magis ſibi habeat devinctam. Duplicem hinc ſpondet fructum: primo, ne vel in ſubſidium cogatur ſervos manumittere; nec civibus arma adimere. *Quoniam vero civitates duobus ex partibus conſtant, pauperibus & divitibus, perficiendum eſt inprimis, ut exiſtiment, utrique ſe ſui Principis auxilio beneficioque ſervari, aliosque ab aliorum injuriis contineri. Nam ſi Tyrannus eos ſibi adjunxerit, nec ſervos liberare ac manumittere, nec arma civibus adimere cogetur. Parte enim altera potentiæ ejus adjuncta ſatis erit ad eos reprimendum, qui res novas movere & turbare tentabunt.* Scilicet & ſervorum manumiſſio & armorum ademtio inter violenta Tyrannorum ſunt, a quibus hic qui formatur Tyrannus clancularius ſibi temperare debet. Poſterius uti veteribus ſæpe uſurpatum, ita in nuperis quoque bellis locum invenit.

§. XXVIII. Et hi quidem modi quoque ſunt ſophiſtici ab Ariſtotele propoſiti, quibus plura attexere in proclivi eſſet: niſi ſemel deliberatum animo, nos intra limites tanti

ma-

magiſtri continere. Atque is ipſe ſupervacaneum cenſuit plura de his præcipere cum omnia ad hunc ſint referenda ſcopum, ut ſubditis non Tyrannus, ſed bonus potius Paterfamilias ac Princeps legitimus; non civium depeculator, ſed tutor Reipubl. & procurator videatur; quique idem modum teneat in voluptatibus, nec in extremorum alterum ab aurea mediocritate deflectat. Præterea vero erga Optimates & plebejos facilem & comem ſe præbeat; hos gratia & clementia demulcendo; cum illis autem paulo familiarius converſando. Ex his duo conſecuturum bona cenſet; ut ſcilicet imperium ejus habeatur melius commodiusque, deinde quoque diuturnius: Illud; quia melioribus imperabit, non abjectis aut ſervilibus ingeniis: hoc; quia nullius odio aut metu gravabitur, quin omnium potius amore & ſtudio florebit. Ad extremum qui Principatus diuturnitatem expetierit, eundem aut revera præclare ad virtutem & affectum, aut ſaltim ſemibonum, ſemimalumve eſſe oporteat. At enim uti initio capitis tetigimus, ita hic monemus denuo, neque hæc Ariſtotelica, neque alia ejus commatis, a nobis ſcribi, quod probemus inſtituta ejusmodi tyrannica, ſed ut mores Tyrannorum in clara luce poſiti a bonorum Principum ſanctitate, moderatione & juſtitia diſtinguantur.

CAPUT VII.

DE CAUSIS TYRANNIDEM CORRUMPENTIBUS ET DE TYRANNICIDIO.

SUMMARIUM.

§. I.

COrrupte Reſpubl. & in his Tyrannis facile pervertuntur. II. Tyrannu, vel externis vel internis malis corrumpitur. Internorum infi-

 nita

nita prope multitudo. III. Vel vi, vel fraude evertitur Tyrannis. IV. Diſtinguendum inter everſionem & converſionem Tyrannidis. V. Vel Tyrannus vel ſubditi in cauſa ſunt mutationum tyrannidis. Ille Impietate, Crudelitate, Avaritia, Libidine, Socordia; *hi* Metu, Odio, Contemtu, Lucri cupidine, Ambitione *adducti. VI. Si Tyranni impietas manifeſta, ſæpe pernicies proximus. VII. Plurimos Tyrannorum Crudelitas evertit: ut* Aſtyagen, Mithridatem, Caligulam, Domitianum, Macrinum, Chriſtiernum. *VIII. Avaritia Tyrannorum rebellionis cauſa. Exempla congeſſit Nobiliſſimus* Joh. Wilhelmus Neumair. *IX. Libidines peſſumdant Tyrannos: ut* Piſiſtratidas, Evagoram, Tarquinium, Victorinum, Childericum, Gothos *in Hiſpania,* Auſtriacos *in Helvetia. X. Quo & dicteria petulantia referas: quæ nocuerunt* Periandro, Caligulæ, Amyntæ *XI. Socordia libidinum comes perdidit* Francorum Reges Merovingicos & Wenceslaum. *XII. Crudelitas Tyranni Metum & Odium; Voluptas & Socordia Contemtum parit. XIII. Metus* Artabani, Xerxem; *ſubditorum,* Dionem *perdidit. XIV. Contemtus* Sardanapalum, Dionem, Aſtyagen, Seuthen, Richardum Cromwellium *in perniciem traxit. XV. Si contemtui comes lucri cupido, ea magis adhuc ad res novas concitat, præcipue magnanimos & bellicoſos. XVI. Ambitio quandoque exſtimulat homines ad convellendam tyrannidem: ut* Dionem, Brutum, *& Juvenes, qui Jaſonem Theſſalorum Ducem ſuſtulerunt. Quid Miniſter Anglicanus Cromvvellianis addictus albo inſcripſerit. XVII. Ariſtoteles diſcordiam quoque propinquorum Tyranni tollendæ potentiæ anſam dare aſſerit: quod probatur in* Thraſibulo Gelonem *juniorem corrumpente. & poſt* Dionem *ejectum,* Dionyſio *itidem necato. XVIII. Q.* An Tyrannos liceat Imperio dejicere aut occidere. *Affirmant veteres,* Cicero, Polybius, Seneca, Joh. Sareſberienſis. *XIX. Græci Tyrannicidas honoribus affecere, iisdemque ſtatuas poſuere: quod &* Bruto *Romæ factum XX. Tyrannicidiis reclamant apud Tacitum* Marcellus & Cerialis. *XXI. S. Scriptura Tyrannicidia promiſcua improbat. XXII. Violatis vel ſublatis Tyrannis graves plerumque oriuntur motus in Rep. XXIII. Tyrannicidarum plerumque exitus calamitoſi: uti* Cæſaris, Mauricii, Adolphi Naſſovii, Alberti Auſtriaci. *XXIV. Grotius tolli poſſe exiſtimat*

inva-

invaſorem Reip. ſolaque vi, ſine pactione, ſine data fide retirentem: ac permittit quoque cædem Tyranni ſi jubeat is, penes quem majeſtas. XXV. Cur extra hos caſus id non liceat. XXVI. Concluſio ex Joh. Sareſberienſi.

§. I.

DE cauſis evertentibus Tyrannidem extremo hoc agemus capite. Et ſane cum aliæ omnes Reſp. cum ceteris in hac humanorum fragilitate rebus, mutationibus variis ſint obnoxiæ, ac ſæpius opinione celerius evertantur, omnium maxime id fieri neceſſum in Rebusp. corruptis: in quibus quia facile principem locum obtinet Tyrannis, non difficulter etiam loco ſuo moveri, & funditus quandoque eradicari poterit.

§. II. Ceterum uti alias Reſp. vel externus peſſumdare valet adverſarius, vel interna corrumpere queunt incommoda; ita pariter ad Tyrannidem debilitandam, enervandam ac tollendam vel externi facient hoſtes, vel in ipſis Reip. viſceribus enata malorum colluges. De hoſtibus externis ita ſcribit Ariſtoteles: *Evertitur etiam Tyrannis uno quidem genere, quo etiam cetera Reſp. ſubvertuntur, id eſt, externis cauſis, ſi quæ inimica Reſp. potentior fuerit. Voluntatem enim affuturam eſſe, perſpicuum eſt propter inſtitutionis repugnantiam. At omnes quod volunt, ſi modo etiam poſſint, efficiunt. Sunt autem Reſpubl. æmulæ, Democratia quidem Tyrannidis, quemadmodum ait Heſiodus:*

—— Ut figulus figulo

Etenim extrema Democratia tyrannis quædam eſt; regalis autem Reſp. Ariſtocratia, propter legum & morum diſſimilitudinem. Quibus de cauſis Lacedemonii quondam & Syracuſani, cum eorum Reſp. florerent, tyrannidem multis locis everterunt. Sed de externis cauſis non eſt qui nunc agamus accuratius. Internorum autem malorum quia tanta datur copia, ut caſus ferme ſint infiniti, ex quibus omnibus occaſio alicujus mutationis oriri poſſit, plusquam Herculei laboris foret, enarrare velle ſingulos. Ne tamen plane intacti nobis abeant, præcipuos quosdam proponemus.

§. III. Generatim uti vel vi, vel fraude parantur conſervanturve tyrannica imperia, ita etiam utroque

 modo

Juſtinum lib.I. cap.V. Mithridates Rex Parthorum *propter crudelitatem a ſenatu Parthico regno pellitur.* Idem l. XLII. cap. IV. Quando Caligula *conſilium iniret nefandæ atrocitatis, legiones, quæ poſt exceſſum Auguſti ſeditionem olim moverant, contrucidandi; vixque a tam præcipiti cogitatione revocatus inhiberi nullo modo poſſet, quin decimare vellet perſeveraret; & vocatas ad concionem inermes, atque etiam gladiis depoſitis equitatu armato circumſideret, ſuſpecta revidit, pleroſque dilabi ad reſumenda, ſi qua vis fieret, arma:* uti fere narrat Sveton cap. XLVIII. Domitianus *terribilis cunctis & inviſus, tandem oppreſſus eſt amicorum libertorumque intimorum conſpiratione, ſimul & uxoris.* Idem c. XIV. Cum Opilii Macrini *vilitatem homines antiquam cogitarent, crudelitatem nimiam viderent, hominem putidulum in imperio ferre non poſſent, maxime milites, qui multa ejus meminerant funeſtiſſima, & aliquando turpiſſima, inita factione illum occiderunt.* Capitolinus in vita Macrini. A Chriſtierno univerſa Svecia defecit propter innocentium Procerum cædes: ſiquidem LXX. Primores regni, florem nobilitatis & plebis die coronationis captos, mox Stockholmii cuſtodiæ traditos, poſtridie e vinculis in forum productos, primo inauditos capite mulctari, mox oppido exportari, atque in rogum conjectos exuri fecit. Videatur Swaningii Chriſtiernus II. cap. XII. Scilicet *non poteſt habere quiſquam bonæ ac fidæ voluntatis miniſtros, quibus in tormentis, & eculeo, & ferramentis ad mortem paratis utitur, quibus non aliter quam beſtiis homines objectat*: uti præclare judicat Seneca de Clementia lib.I. cap. XIII.

§. VIII. Nimia deinde Tyrannorum avaritia facit, ut quæcunque occaſio ſubminiſtretur, rebellare incipiant ſubjecti, & de tollenda tyrannide laborent. Quod ſi igitur imperantes involant in ærarium, aut alia bona publica; quod ſi ex injuriis ſubditorum fiſcum implent; quod ſi bella pecuniæ cogendæ cauſa ſuſcipiunt; quod ſi tributis nimiis vexant plebem, iiſque exigendis homines improbos & alieni avidos præficiunt; quod ſi id agunt cum Nerone, *ne quis quidquam habeat* (Sveton. cap. XXXII.) fieri non poteſt aliter, quin acerbiſſimæ conditionis pertæſi in caput Ty-

K 5 ranni

ranni conjurent, & cum vitæ licet ac reliquarum fortunarum periculo levamentum malorum quærant. *Non tam omnibus fortunis nudari quis poteſt*, (quæ ſunt Forſtneri ad Taciti Ann. IV.) *ut non ad vindictam cultellus remaneat. Prius neciis paternæ, quam ablati patrimonii obliviſcuntur homines.* Plenæ ſunt hiſtoriæ exemplis, in quantum ſæpe diſcrimen Reges, Principes, aliæque Reſp. ob multa & gravia tributa ſe conjecerint: eorumque bonam partem congeſſit Vir genere ac varia eruditione nobiliſſimus Johannes Wilhelmus Neumair a Ramsla, tum de Seditionibus, tum de Tributis, tractatibus germanicis: ut Forſtnerum proximo capite laudatum, aliosque prætercam.

§. IX. Porro non pauci Tyrannorum ob libidinem vita & potentia privati ſunt. Horum ex Johannis Bodini lib. de Republ. catalogum habet caput ſuperius; hic nonnullos paulo diſertius perſtringemus. *In Piſiſtratidas* inquit Ariſtoteles l. V. c. X. *facta conjuratio, hinc orta eſt, quod Harmodii ſorori ſtuprum intuliſſent.* Juſtinus l. II. c. IX. *poſt mortem* Piſiſtrati, *Diocles, alter ex filiis, per vim ſtuprata virgine, a fratre puellæ interficitur.* Eunuchus quidem Evagoram Cypri Regem interfecit, quod filius Evagoræ Eunucho uxorem eripuiſſet. Ariſtoteles loco laudato: quem non intellexere interpretes peſſime vertentes: id quod jam animadverſum Piccarto. Tamdiu *ſuperbiam* Tarquinii *Regis Populus Romanus perpeſſus eſt, donec aberat libido. Hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit. Quorum quum alter ornatiſſimæ fœminæ Lucretiæ ſtuprum intuliſſet, matrona dedecus ferro expiavit. Imperium autem Regibus abrogatum.* Florus l. I. cap. VII. Victorinus XXX. Tyrannorum ſeculo III. unus, *quod matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret, a quodam actuario, cujus uxorem ſtupraverat, compoſita factione, Agrippinæ percuſſus:* Trebellius Pollio in Victorino. De Childerico I. Francorum Rege Gregorii Turonenſis Excerpta Chronica cap. XI. *Childericus filius Merovei cum ſucceſſiſſet patri in regno, nimia luxuria diſſolutus filias Francorum ſtupro tradidit. Illi vero ob hoc indignantes eum de regno ejiciunt.* Gemina fere legas agud ipſum Gregorium

Hiſtoriæ

Hiſtoriæ Francorum lib.II. cap.XII. Sic Mauri Hiſpania expulerunt Gothos regnumque occuparunt, attracti a Juliano Cantabriæ comite, cujus filiæ Rodericus Rex Gothorum ſtuprum intulerat. Cum in Helvetia Auſtriaci præfecti inter cetera tyrannica vim quoque honeſtis inferre conarentur fœminis, anſam ſubjectis dedere excutiendi jugum. Succurrit jam animo Wolfenſchieſſii nobilis apud Unterwaldenſes petulantia, qui civis cujusdam uxorem, forma pudicitiaque egregiam abſente marito balneum parare, & nudam ſibi aſſidere cogit, poſt id illicitum impetrare ſperans concubitum. Quod mulier proba præſentiens, maritum, qui haud procul aberat, domum vocat: ac is quidem rei indignitate percitus Wolfenſchieſſium in ipſo balneo, capite ſecuri contuſo necat. Hiſtoriam ex Schvvitzero repetit Hottingerus Methodo legendi Hiſtorias Helveticas.

§. X. Sed non facta modo libidinoſa, ſed verba quoque prætextata Tyrannis exitioſa eſſe, cumprobabimus. Periander Ambraciensium Tyrannus ab adoleſcente, quo ad libidinem abuſus, obtruncatus eſt, quod in convivio publico interrogaſſet eum, nondumne ex ſe prægnans eſſet. Hiſtoriam habent Ariſtoteles Polit.V. c. X. & Plutarchus in Erotico. Id ipſum Caligulæ etiam exitio fuit, cum Caſſio Chæreæ, Tribuno cohortis Prætoriæ modo *ſignum petenti Priapum aut Venerem daret: modo ex aliqua cauſa agenti gratias oſculandam manum offerret, formatam commotamque in obſcœnum modum*: quod narrat Svetonius in Caligula cap.LVI. Huc & forte referas illud de Amynta minore, qui cum florem ætatis Derdæ a ſe decerptum contumelioſe in ejus præſentia jactaſſet, ab eodem occiſus eſt. Græca Ariſtotelis hæc ſunt: *καὶ ἡ Ἀμύντου τοῦ μικροῦ ὑπὸ Δέρδα, διὰ τὸ καυχήσασθαι εἰς τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ:* de qua hiſtoria amplius quærendum cenſet Piccartus.

§. XI. Libidines plerumque comitem habent Socordiam ac negociorum imperii negligentiam, quæ non poteſt non contemtum miniſtrorum ac ſubditorum, ipſamque mutationem poteſtatis cauſari. Hæc ipſa ſocordia perdidit

dit ultimos Francorum Merovingici ſtemmatis Reges, qui ut Eginhartus cap. I. de vita Caroli M. ſcribit, *nullius vigoris erant, nec quicquam in ſe clarum præter inane Regis vocabulum præferebant. Nam & opes & potentia regni penes Palatii præfectos, qui Majores Domus dicebantur, & ad quos ſumma imperii pertinebat tenebantur: neque regni aliud relinquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuſo, barba ſubmiſſa, ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis effingeret.* Hinc Hildericus III. de conſilio Principum regni depoſitus, *quod non ſolum inſufficiens ad regnum gubernandum, ſed etiam diſſolutus cum mulieribus, & effœminatus fuit*: quæ verba ſunt Gobelini Perſonæ Cosmodromii ætat. VI. cap. XXXIX. Wenceslaus Bojemorum Germanorumque Rex *deſidia corruptus præſenti rerum ſtatu contentus, neque præterita corrigere, neque futura curavit præcavere. Fuit enim longe Patri abſimilis, voluptatum ſequax, ac laboris refugiens, vini prorſus quam regni curioſior. Ob quam rem captus a baronibus, XVII. hebdomadas in cuſtodia habitus eſt. Johannes Dux Luſatiæ, & Procopius Marchio Moraviæ magno Reſp. malo eum libertati reddiderunt. Captus & ſecundo per Sigismundum Hungariæ Regem fratrem ſuum, & Alberto Auſtriæ Duci in cuſtodiam datus. Sed cum parum diligenter cuſtodiretur, fugam arripuit, regnoque rurſus potitus eſt. Neque tamen vitam mutavit, ſed priori conſuetudine vino ciboque marcens, lucemque dormiendo nocti conjungens, ab Electoribus Imperii, comprobante Romano Pontifice, imperio dejectus, domi torpens, illaudatum egit ævum.* Æneas Sylvius Hiſtoriæ Bojemicæ cap. XXXIV.

§. XII. At vero quemadmodum crudelia Tyranni metum ſubditis incutiunt ac internecinum odium, ita voluptates ac ſocordia contemtum pariunt: quæ multum deinde in mutanda evertendaque tyrannide habent roboris. *Nam & injuria & metus & contemtus* (ſic ipſe habet Philoſophus Polit. l. V. c. X.) *ſubditos ad Monarchiam delendam commovent: ſed ex omni injuriæ genere imprimis contumelia, aliquando etiam rerum propriarum privatarumque ſpoliatio.* Ac inferius eodem capite: *Cum duæ cauſæ ſint, quibus in Tyrannos ſubditi commovere ſoleant, odium & contemtus, in odio certe neceſſe Tyrannos*

eſſe

eſſe. Sed contemtus tamen eos ſæpius evertit, quod hinc animadverti poteſt, quia permulti Tyranni, qui tyrannidem ſibi ſuo Marte peperiſſent, eandem retinuerunt: qui vero ab aliis acceperunt, protinus amiſerunt. Nam cum in deliciis & voluptatibus vivant, facile contemnuntur a ſuis, & multas inſidiantibus occaſiones præbent.

§. XIII. Maxime autem Metus ſubditos occupat in tyrannide. Nam, ut Seneca ait, *quem quisque metuit, eum odit, quem quisque odit, eum periiſſe expetit.* Itaque cum ſubditi Tyrannum metuant, vitæ quoque ejus inſidiantur. Sic Artabanus Xerxem metuebat, ne in illum animadverteret propter occiſum Darium. Ariſtotelicam paraphraſin potius, quam interpretationem adſcribo. *Ob metum autem ſimiles conjurationes fieri conſueverunt. Vna enim quædam ruina & everſionis cauſa hæc eſt, ut in ceteris Rebuspubl. ſic in Monarchiis, qualis fuit Artabani in Xerxem conjuratio. Metuens enim ne ob Darii, quem Xerxis injuſſu cruci ſuffixerat, necem, pœnas dare cogeretur, quamvis ſperaret Regem ipſum ſibi veniam daturum, velut ejus facinoris immemorem, quia convivam illum cœnis acciperet, ſupplicii tamen metu commotus interemit.* Cum Dion Siciliæ tyrannus invidiam non lenire obſequio, ſed acerbitate opprimere ſtuderet, & Heraclidem, cum Syracuſas veniſſet, interficiendum curaret hoc *factum omnibus maximum timorem injecit. Nemo enim illo interfecto ſe tutum putavit.* Quæ prima fuit ad perniciem Dioni via. Legatur Corn. Nepos in Dione. cap. VI. & VII.

§. XIV. Sed ex nimio Tyrannorum luxu, ex illicita Venere, ex ignavia in adminiſtrando regimine, ex rei militaris imperitia, contemtus & deſpectus oritur, qui hominem abjectum e medio tollendum ſvadet. Arbactus Medorum præfectus cum Sardanapalum dominum *inveniſſet inter ſcortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu cum mollitia corporis, & oculorum laſcivia, omnes fœminas anteiret, penſa inter virgines partientem; his viſis, indignatus tali fœminæ tantum virorum ſubjectum, tractantique lanam, ferrum & arma portantes parere, progreſſus ad ſocios, quid viderit, refert: negat ſe ei parere poſſe, qui ſe fœminam malit eſſe, quam virum. Fit igitur conjuratio.* Juſtin. lib. I. c. III. Eodem exemplo hoc in argumen-

gumento utitur Ariſtoteles, ſic tamen ut de hiſtorica veritate quadamtenus dubitet. *Conſpirationes*, inquit, *aliæ etiam ex contemtu oriri ſolent, qua cauſa motus quidam Sardanapalum adortus eſt, cum eum cum mulieribus nentem conſpexiſſet, ſi modo qui iſta fabulantur, vera dicunt. Quod ſi minus in illo verum fuerit, in alio eſſe potuit.* Affert deinde alia, de *Dione* Dionyſium juniorem ob perpetuas compotationes; de *Cyro* Aſtyagis avi luxu diffluentis potentiam; de *Suthe* Thrace, Amadocum gemina de cauſa deſpicientibus. Noſtra memoria Richardus Oliverii Cromwelli filius ob eandem cauſam a patre parta excidit tyrannide, confirmans Ariſtotelicam paulo ante allatam obſervationem.

§. XV. Sed ſi ad contemtum acceſſerit lucri quoque ſpes præſumta, magis etiam ad res novas compellentur nonnullorum animi. Exemplum ejus rei Philoſophus ſiſtit Mithridatem, qui in Ariobarzanem utraque cauſa commotus conjuraverit. Et hoc quidem potiſſimum ſpectare aſſerit homines animoſos, & qui militaribus fungantur muneribus: quod animoſitas potentia & armis nixa erumpat in audaciam. Exempla ſuppeditant in Galliis Guiſii, item Marſchalcus Bironius, in Germania Wallenſteinius, in Anglia Cromwellius: quamvis horum Dominos in tyrannorum canonem nolim referre.

§. XVI. Præterea Ambitio eſt, quæ nonnullorum animos ad evertendam exſtimulat tyrannidem. De quo Ariſtoteles: *Eorum vero quos in Tyrannos impellit ambitio, alia eſt, præter ſuperiores, cauſa & ratio. Non enim quemadmodum nonnulli Tyrannos aggrediuntur, magni inde quæſtus, magnique pretii ſpe ſollicitati; ſic qui gloriæ cupiditate commoventur, pericula ſubeunt. Sed illi quidem ea, quam dixi, ſpe illecti, hi vero veluti munere quodam, majore & excellentiore moti, ut nominis ſui fama terrarum orbem compleant, ſic (inquam) Tyrannos aggrediuntur, non ut Monarchiam, ſed gloriam conſequantur.* Eiusmodi vero homines rariores tradit, quod illa magnanimitas vitæ ſuæ prodiga, non facile locum inveniat. Quapropter unicum modo promit Dionem, *qui parva militum manu Dionyſium*

ſium aggreſſus ita ſe animatum dictitavit, ut quocunque progredi poſſet, id operis ſibi ſatis futurum, ut ſi ſimulatque vel minimum in Dionyſii fines invaſiſſet, moriendum eſſet, eam mortem præclaram ſibi & glorioſam duceret. Piccartus Dioni comitem dat *Brutum* inter Cæſaris interfectores, non immerito idcirco a Plutarcho cum Dione comparatum. Nos addimus adoleſcentes illos, qui *Jaſonem Pherenſem* Ducem Theſſalorum dolo trucidarunt. *Gloriæ* enim *cauſa conjuraſſe*, auctor eſt Diodorus Siculus lib. XV. Etiam huc referrem miniſtrum illum Cromwellianæ factioni nimis addictum, quem auditis de reſtitutione Caroli II. rumoribus, Hafniæ albo ſtudioſi inſcripſiſſe ferunt:

——— *Manus hæc inimica tyrannis*
Enſe petit placidam cum libertate quietem.

§. XVII. Super hæc Philoſophus tyrannidis pervertendæ alium proponit modum, ſi nimirum *οἱ μετέχοντες*, quos Piccartus interpretatur *Tyranni propinquos, gentiles, ſive regni heredes*, inter ſe diſſideant. Illuſtrat hoc exemplis Gelonis & Dionyſii. Et Gelonis quidem filium Patri cognominem Thraſybulus frater Hieronis pellexerat ad voluptates, ut ipſe hac via ad dominatum graſſaretur. Quod cum olfacerent familiares & propinqui Gelonis, Syracuſanos excitarunt, non ad diſſolvendam tyrannidem, ſed ad Thraſybulum coercendum. Attamen turbatis rebus velut commodam occaſionem nacti, una omnes expulerunt. Dionyſium vero, licet affinem ſuum, impugnavit Dion, ſed ejecto Dionyſio ipſe quoque necatus eſt: quod pluribus in Dione exponit Corn. Nepos. Obertus Giſanius ad hunc Ariſtotelis locum longum texit catalogum everſorum regnorum per hæc diſſidia. Et quam maxime hic valet CHRISTI Domini effatum apud Lucam Evangeliſtam cap. XI. *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.*

§. XVIII. Et iſta quidem pro tempore ſufficiant de cauſis corrumpendæ Tyrannidis. Nunc de Tyrannicidio nonnulla attexemus. Scilicet non ignobilis, & multum

 tum

tum agitata quæſtio eſt, liceatne invaſorem Imperii vi dejicere, aut etiam occidere. Si veterum quorundam ſcriptorum auctoritati ſtandum, tantum abeſt, ut inter vetita retulerint, ut potius tanquam bonum factum, omnique præconio digniſſimum cenſuerint. Ciceronem audiamus, primo ex populi Romani ſententia loquentem lib. III. Officior. *Quod poteſt eſſe majus ſcelus, quam non modo hominem, ſed etiam familiarem occidere? Num igitur ſe obſtrinxit ſcelere, ſi quis Tyrannum occiderit, quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur; qui ex omnibus preclaris factis illud pulcherrimum exiſtimat. Vicit igitur utilitas honeſtatem? Imo vero honeſtas utilitatem ſecuta eſt.* Deinde etiam ex ſua, eodem libro: *Nulla eſt ſocietas nobis cum Tyrannis, ſed potius ſumma diſtractio eſt: neque eſt contra naturam, ſpoliare eum, ſi poſſis, quem honeſtum eſt necare. Atque hoc omne genus peſtiferum atque impium, ex hominum communitate exterminandum eſt. Etenim ut membra quedam amputantur, ſi & ipſa ſanguine, & tanquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis, ſic iſta in figura hominis feritas & immanitas belluæ a communi tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt.* Succedat Polybius Hiſtoriarum lib. II. *Neque Antigoni atque Arati ſævitiæ adſcribendum eſt, quod tyrannum, quo bello potiti legitime fuerant, interfici in vinculis juſſerunt; quem etiam tempore pacis capere, & ſummis afficere cruciatibus optimum ſimul ac honorificum fuiſſet.* Sequatur Seneca de Beneficiis lib. VII. cap. XX. *Si ex toto* Tyranni *ſanitas deſperata fuerit, eadem manu beneficium omnibus dabo; illi reddam:* (hoc eſt, *interimam*) *quando ingeniis talibus vitæ exitus remedium eſt: optimumque eſt obire ei, qui ad ſe nunquam rediturus eſt.* Et in Senecæ Tragici Hercule Furente hæc oſtendas:

—Victima haut ulla amplior
Poteſt, magisque opima mactari Jovi,
Quam Rex iniquus.

Agmen claudat Johannes Saresberienſis de Nugis Curialium lib. VII. cap. XVII. *Imago deitatis Princeps, amandus eſt, & colendus: Tyrannus pravitatis imago, plerumque etiam occidendus.*

Et

Et ſub finem capitis: *Si enim Tyrannus ſecularis, jure divino & humano perimitur, quis Tyrannum in ſacerdotio diligendum cenſeat, aut colendum?* Et ſequenti capite: *Quia ſemper Tyranno licuit adulari, licuit eum decipere, & honeſtum fuit occidere, ſi tamen aliter coerceri non poterat.* Ac iterum cap. XIX. *Sicut ergo damnatum hoſtem licet occidere, ſic Tyrannum.*

§. XIX. Quamobrem etiam apud Græcos ſingularibus mactabantur honoribus, qui Tyrannos ſuſtuliſſent. Hinc Cicero pro Milone: *Græci homines Deorum honorem tribuunt illis viris, qui Tyrannos necaverunt. Quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in urbibus Græciæ? quas res divinas talibus inſtitutas viris? quæ carmina? quos cantus? prope ad immortalitatem, & religionem, & memoriam conſecrantur.* Idem lib. II. de Inventione: *Lex eſt, Qui Tyrannum occiderit, Olympionicarum præmium capito, & quam volet ſibi rem a magiſtratu, ei concedito.* Athenienſes ſane Harmodio & Ariſtogitoni ob hanc cauſam ſtatuarum honorem detulere. Plinius lib. XXXIV. c. IV, *Athenienſes neſcio an primi omnium Harmodio & Ariſtogitoni tyrannicidis publice poſuerint ſtatuas.* Idem teſtantur Thucydides lib. VI. Pauſanias in Atticis, Valerius Max. lib. II. cap. X. Quod imitati videntur Romani, apud quos Bruto idem contigit honor ob liberatam tyrannide patriam. Plutarchus in Bruto: *Junio Bruto priſci Romani in Capitolio mediam inter Reges poſuere ſtatuam ex ære, qua ſtrictum tenet enſem, quod fortiſſime regno pepuliſſet Tarquinios.*

§. XX. Attamen Tyrannicidiis reclamant alii, quos inter Marcellus apud Tacitum Hiſt. l. IV. c. VIII. qui *bonos Imperatores voto expetendos, qualescunque tolerandos* cenſet. Eodem libro cap. LXXIV. Petilius Cerialis Treveros ac Lingonas ad concionem vocatos inter alia his alloquitur: *Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres, & cetera naturæ mala; ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines: ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur.*

§. XXI. Tantum autem abeſt, ut ſacræ literæ e medio tolli Tyrannos quosvis velint, ut etiam pro vita & ſalute Nabuchodonoſoris, filiique ejus Balthaſaris qui tamen

Judæos in captivitate conſtrictos habebant, ac præterea variis ſceleribus erant contaminati, orare Iſraelitas jubeant. Baruchi verba ſunt cap. I. *Orate pro vita Nabuchodonoſor, Regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filii ejus, & ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum.* Imo ipſe Chriſtus præcipiens dari Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, tributum ſolvi Tiberio jubet. Matth. XXII. Et Paulus quoque officia ſubditorum late deſcribens, inter alia: *Qui obſiſtit*, inquit, *poteſtati, Dei ordinationi obſiſtit: tum vero qui obſiſtunt, ſibi ipſis condemnationem accipient.* Et quando Apoſtolus difficilibus quoque Dominis parendum monet, utique & id de magiſtratibus ac Principibus intelligendum.

§. XXII. Huc accedit, quod Tyrannis vel interfectis vel violatis periculoſi plerumque & cruenti motus oriantur. Vnde recte Favonius apud Plutarchum in Bruto *pejus deteriusque tyrannide bellum civile* cenſuit. Et T. Quintius apud Livium l. XXXIV. ſatius fuiſſe ait Tyrannum Nabidem Lacedæmone relinqui, cum opprimi non poſſet, quam ruina gravisſima civitatis in ipſa vindicta libertatis perituræ.

§. XXIII. Etiam magnum contra percuſſorem Tyrannorum, aut qualiumcumque Principum præjudicium eſt occultum Dei judicium. Plenæ ſunt omnes hiſtoriæ talium exemplorum. *Percuſſorum Cæſaris, neque trienno quiſquam amplius ſupervixit, neque ſua morte defunctus eſt. Damnati omnes, alius alio caſu periit: pars naufragio, pars prælio: nonnulli ſemet eodem illo pugione, quo Cæſarem violarunt interemerunt.* Svetonius in Julio cap. ult. Milites ſeditioſi qui Phocam Mauritio prætulerant, adeo ſub ipſo conſumti ſunt, ut inſtituta poſtmodum accurata recenſione non niſi duo ex univerſa multitudine inventi ſint. Adi Zonaram Annal. Tomo III. in Heraclio. Adolpho Naſſovio in prælio ad Spiram cæſo, quotquot vel ſocii fuerunt fœderis contra eum initi, vel fœderatis auxilia tulerant, pœnas dederunt. Comes de Hagerloch occiſus: Otto de Ochſenſtein ſubmerſus aquis: Epiſcopus Moguntinus in ſella ſedens apoplexia exſtinctus: Epiſcopi Argentinenſis latus gladio famulus hauſit: Comes de Leiningen phrenitide

corre-

correptus: & Albertus Auſtriacus ſucceſſor a fratris filio Johanne trucidatus eſt: qui tamen & ipſe cum conjuratis nemeſin divinam non aufugit. Nam Waltherus de Eſchenbach tota vita paſtorem agens poſt triginta annos miſere moriturus nomen ſuum manifeſtavit. Rudolphus de Wart equi caudæ alligatus, fractis rota membris necatus eſt. Johannes profugus per ſylvas & ferarum latibula, Piſis tandem perpetuo carceri mancipatus eſt. Vlricus de Palm Baſileæ latitans, in domo quæ vocatur Converſarum, miſere obiit. Albertus Argentinenſis, & Cuſpinianus in Adolpho & Alberto.

§. XXIV. Interim Hugo Grotius lib. I. de Jure Belli & Pacis cap. IV. eum jure tolli poſſe exiſtimat, qui bello injuſto imperium rapuerit, neque pactio ulla ſecuta, aut fides illi data, ſed ſola vi retineat poteſtatem. Ita enim belli jus manere putat, & proinde in eum, quod in hoſtem, licere. qui a quovis etiam privato occidi poſſit. Idem quoque Tyranni cædem permittit, ſi diſerta auctoritas accedat ejus, qui jus imperandi habet, ſive Rex ſit, ſive Senatus, ſive populus: quibus annumerandi & Regum puerorum tutores.

§. XXV. Extra hos vero caſus nulli privato vi dejicere, aut interficere Tyrannum licere ſtatuit. Et ſane ſi Reip. interſit tolerare Tyrannum, quod ita tolli nequeat, niſi cum Reip. internecione; etiam illi quem penes eſt majeſtas, Tyrannum invadere nefas eſt. Multo minus, ſi civitas jam tacite conſentiat quaſi in Tyranni imperium, unus aut alter contra debet niti. Certe qui injuſſu vel populi, vel Senatus, vel alterius penes quem τὸ κύριον, tyrannidi reſiſtit cum præſenti Reip. periculo, is non minus peccat, quam ſi quis alius publicam perturbet tranquillitatem.

§. XXVI. Concludimus hanc diſſertationem aureo dicto Johannis Sareſberienſis lib. VIII. de Nugis Curialium ſuperioribus diſſimili cap. XX. *Hic quidem modus delendi Tyrannos utilisſimus & tutisſimus, ſi qui premuntur, ad patrocinium clementiæ Dei in humilitate confugiant & puras manus levantes ad Dominum devotis precibus flagellum quo affliguntur, avertant.*

F I N I S.

TYRANNVS ille, quem videtis, Optimi
Ait fuiſſe ſcriptus arte maxima:
Neque ullius manus Apellis inclytas
Quiſſe pingere elegantius, refert.
Et hoc negat celebris urbis HAMBRVGI
Negare littus; hoc negare pernegant
Amœna LVNEBVRGI & arva & aggeres:
Vbi iſte natus eſt parens TYRANNI: ubi
Et educatus, usque cum loquentia
Scientiaque abiret ad novos locos.
Tibi hæc fuiſſe & eſſe cognitisſima,
Ocelle, JENA, civitatium SALÆ,
Ait TYRANNVS: in quiete commoda
Tuo fuiſſe dicit usque in ambitu:
Et imbuiſſe pectus artibus bonis:
Sophis dediſſe nomen, ac amabili
Suadæ: amare Jurium ſcientiam:
Docentium, quid olim in orbe geſſerit
Adæ genus, bibiſſe verba ſedulo;
Docere quo queat, quid uſui ſiet
Volentibus quiete in orbe vivere.
Labore namque proderit ſuo bonis:
Et usque dedicabit Optimo DEO
DEVS dedit bonique quæ ſibi bona.

Meo
BERNBERCHIO
Optimi Patris Filio ad majora
ſtrenue contendenti

Divinam Gratiam, ac pietatis, probitatis,
diligentiæque fructus uberrimos
gratulabundus apprecor

PRAESES.